Th GES
204

Ex Bibliotheca
Collegii Evangelici,
Aug. Vindel.

L. M. Steinberger Sculps. A.V.

4 GO

INDEX

THEOLOGORUM

EVANGELICO-LUTHERANORUM

CHRONOLOGICUS,

SISTENS

A TEMPORE REFORMATIONIS

AD NOSTRA

usque tempora illorum nomina, patriam, officia & annos emortuales;

PRODROMI LOCO

BIBLIOTHECÆ UNIVER-

SALIS THEOLOGORUM ECCLE-

SIÆ LUTHERANÆ,

suo tempore divinis auspiciis luci donandæ publicæ, ita concinnatus.

Præmissa est

ALLOCUTIO EPISTOLICA AD ERUDI-

TOS HISTORIÆ ECCLESIÆ ET LITERARIÆ

RIÆ CULTORES,

Qua

Ipsis consilium de scribendis atque eden-

dis Theologorum vitis iterum exponit, eo-

rumque consilia & obstetricantes manus

denuo humillime expetit

JOH. ANTON STRUBBERG,

OSNABRUGENSIS.

LEMGOVIÆ,

EX OFFICINA MEYERIANA, 1727.

BIBLIOTHECA SCHOLARUM AUGUSTANARUM IN AUGSBURG

Serenissimus Princeps Augustus
Dux Brunsvicensis & Lüneburgensis sub initio Harm. Evangel.

* * *

Was mir GOtt gan/
Hab ich gethan/
Wer bessers kan/
Wag sich daran.

Data dedi Domino, data duplo, doctior dabit.

* * *

Deus providebit in MONTE.

VIRIS

ILLUSTRIBUS, MAGNIFICIS, SUMME

AC PLURIMUM REVERENDIS,

EXCELLENTISSIMIS, DOCTISSIMIS,

FAMIGERATISSIMIS

DN. DN.

INFRA IN CALCE HUIUS LIBELLI

NOMINATIS,

NEC NON

RELIQUIS OMNIBUS

DE ECCLESIA EVANGELICO-LUTHERANA

PER TOTAM

GERMANIAM, SVECIAM, DANIAM, HUNGARIAM

IMO APUD

ANGLOS, BATAVOS ET SARMATOS

IPSOSQUE

RUSSOS ET INDOS,

PRÆCLARE MERITIS, ATQUE QUO-

TIDIE MERENTIBUS,

MIHI VERO

HACTENUS IGNOTIS, & INFRA OMISSIS,

UT ET

CELEBERRIMIS

INTER LUTHERANOS

PHILOSOPHIS, PHILOLOGIS, HISTORICIS,

VIRIS

DOCTRINA, INGENIO ET MERITIS

PRÆCLARIS & VENERABILIBUS,

LIBERALIUM STUDIORUM OMNISQUE DO-

CTRINÆ CULTORIBUS, ADMIRATIONIBUS.

SUMMIS

MAXIMIS

PATRONIS SUBMISSA DEVOTIO-

NE COLENDIS,

Sacrum esse

Hunc THEOLOGORUM LUTHE-
RANORUM INDICEM CUPIT,
EOQUE
GRATAM MENTEM,
Pro
SALUBERRIMIS CONSILIIS PER LITERAS
HUMANISSIME SUPPEDITATIS,
Pro
UTILISSIMARUM RERUM COM-
MUNICATIONE,
Pro
FAVORE,
AMORE,
STUDIO,
IN SE SUOSQUE TENUES CONATUS,
TESTARI,
AC ULTERIOREM PRÆTEREA
BENEVOLENTIAM
MANUSQUE OBSTETRICANTES
SIBI DECENTER ET HUMILLIME
EXPETERE

SEQUE
COMMENDARE VOLUIT
JOH. ANTON STRUBBERG,
OSNABRUGENSIS.

Vos alloquor, VIRI PRÆSTANTISSIMI, allocutione temeritatem committo, temeritatem agnoſco & erubeſco: ſed vicit pietas timorem, ut ſerena fronte vos alloqui ſuſtineam. Ignoſcite itaque victo, Victores, & ut cauſam temeritatis ſtrictim exponam, permittite. Quod ſi obtinuero, obtinebo autem, ut ſpero, VOS conatus qualescunque meos non modo nihil reprehenſuros, ſed etiam probaturos eſſe, confido. Homines hominum cauſa eſſe generatos, ut ipſi ſe aliisque prodeſſe poſſint, ipſius naturæ humanæ indoles nos docet. a) Quapropter unicuique, qui idoneum ſocietatis univerſæ membrum exiſtere cupit, tempeſtive de rationibus reliquis inſerviendi cogitare, in iisque omni ſtudio elaborare convenit, niſi quis injuſtus ſocietatis deſertor audire malit. Cum vero illæ juxta modernum civitatum indolem innumeræ ſint, o-

 mnium-

a) *Cicero* Lib. 1. de Offic. n. 22.

mniumque habitus doctrina demum, & diuturno exercitio acquirendus; nec singuli propter ingeniorum diversitatem singulis apti reperiantur; nec omnibus, propter connatam generi humano imbecillitatem, unius animi & corporis vires sufficiant; necesse omnino est, ut quis ex multifariis his inserviendi rationibus, unam vel alteram, ad quam natura eum præ reliquis aptissimum reddidit, sibi deligat, in eamque omne studium ad societatis suæ utilitatem conferat. a) Ego hac ratione commotus, Dei præpotentis nutu, post seriam deliberationem, ante duo propemodum lustra tale vitæ genus elegi, in quo sincera doctrina aliis adminiculo esse possem. Feci etiam ad hunc usque diem assidua diligentia, in illo quantum potui, potui autem quod dedit summum Numen. Et nihil metuens aliorum insultus, invidias, insidias, impedimenta atque contemtum,

in

a) vid. *M. Thryllitsch* disput. de eligendo vitæ genere Lipsiæ 1710.

in hoc ſtadio ad finem usque vitæ perſiſtam. Quia vero etiam boni Socii eſt, bonos in ſocietate cives noſſe illos convenire, & eorum exemplo inſiſtere, ego quoque jam multis abhinc annis meæ ſocietatis ſocios, Theologos, dico, Lutheranos, intimius noſſe, animum adjeci, nec me in hoc nonnihil operæ ſtudiique poſuiſſe, unquam pœnituit, cum fructus ex illo percipiam quotidie maximos. Hos autem fructus, quos nemo difficulter conjicit, ad ignotos, ut cognoſcerent iisque uterentur, quam lubentiſſime producere vellem, quemadmodum in epiſtola germanica ad Vos Viri Præſtantiſſimi Eccleſiæ Lutheranæ fulcra, & Reipublicæ Literariæ Principes ante biennium data, a) paucis expoſui, expoſita autem ad voluntatem *Veſtram* in quibusdam mutavi, & mutata

in

a) Sub tit. Sendſchreiben an die Liebhaber der Gelehrten- und Kirchen-Hiſtorie von meinen unter Händen habenden vitis Theolog. Luther. 1725. 8.

in adjecta dissertatione indicavi. Immutatam autem hanc Sciagraphiam cum Theologorum Lutheranorum indice, ea, qua par est, observantia & reverentia, in signum meæ erga VOS obedientiæ, in tesseram gratitudinis inque novum incitamentum *Vestræ* erga studia mea benevolentiæ, VOBIS dedicatam & oblatam esse volui. Hæc est temeritatis meæ causa, qua exposita ulterius non erubesco, sed firmiter spero VOS pro ea, qua polletis animi virtute, & erga quosvis honestos humanitate, illam intuituros. Facite illud VIRI OPTIMI! & causam communem in describendis Theologorum nostrorum vitis mecum agite. Ero in eo totus, ut tantum beneficium, non tam mihi, quam universæ ecclesiæ nostræ præstitum, si non compensare, officiis tamen & obsequiis quibuscunque demereri queam. Scribebam Osnabrugi in aula Serenissimi nostri Principis 1727. d. 26. Januarii.

DISCUR-

DISCURSUS PRÆLIMINARIS DE VITIS THEOLOGORUM LUTHERANORUM.

§. I.

Si ullum eruditionis historicæ genus parce excultum est, vitarum id certe recensionem esse, quisquis rem recte judicio considerauerit, fatebitur, quæ tamen mirum quantam in omnem solidæ doctrinæ partem utilitatem diffusura esset, si accuratiori studio tractaretur. Ita quondam summum ecclesiæ Lutheranæ fulcrum B. IOH. FECHTIUS vitarum recensionem virorum scriptis & meritis illustrium admodum utilem esse judicavit. a) Et licet ego non inquiram an nostris temporibus hocce eruditionis historicæ genus sit satis excultum, hoc tamen affirmare non dubito, illud utilitate sua non carere. In quo etiam me consentientes habere viros præstantissimos, optime novi, b) quic-

a) In apparatu ad epistolas Marbachianas *cap.* IV. *p.* 164.

b) Cum in testimonium adducere vellem assensum præstantissimorum virorum, peroportune, in mentem veniebant verba D. LEPORINI in præfat. ad vitam GUIL. FABRICII HILDANI, quæ *p.* 4. ita se habent: Wer dieses ehemals, da man an dieses

quid etiam obmurmurant alii. a) Certe MORHOFIUS, idoneus, si quisquam alius, hac in causa judex, vitarum scriptoribus, honorem non vulgarem decernit, scribens b) *præcipuam historiæ literariæ partem vitarum scriptores constituunt.* Et profecto res ita se habet, absque historia Doctorum, nihil est in historia literaria.

§. II. Scio equidem virum quendam præstantissimum & longe celeberrimum aliter statuere, & solas tantum scientias, earumque fata, quæ habuerunt, si non non pro unico, tamen pro præcipuo Historiæ Literariæ objecto venditare: Sed quæso, quæ esset illa historia eruditionis? anne actutum nulla foret, quando virorum, quibus scientiarum mutationes, incrementa & decrementa debemus, nulla fieret mentio, nec de vita illorum quicquam constaret? Scribat quis historiam philosophicam & sit ignarus Philosophorum, illius sollertia, quanta quanta sit, ut omnis jaceat, necesse est, cum e contrario e Philosophorum vitis ipsa Philosophiæ fata nullo negotio fluant. Nimis forem prolixus, qui brevitati studeo, si de Theologiæ, Jurisprudentiæ & Medicinæ historia, idem quod dixi, demonstrare vellem: Unico tantum exemplo, quod ex Historia Philosophica desumtum, rem illustrabo, cœtera ad occasionem magis commodam reservaturus.

Studium nicht einmal gedacht, nachdrücklich errinnert hätte, derselbe wäre Lobens wehrt gewesen, aber zu unser Zeit, da fast ein jedweder die Historiam Literariam rühmet, und auch dieselbe zu excoliren, das Ansehen haben wil, viel Worte davon zu machen, scheinet bey nahe unnöhtig zu seyn. Ubi itaque rerum testimonia adsunt, non opus est verbis.

a) Nihilominus diffiteri non possum, quod non omnes inter Biographos eandem laudem mereantur, quodve sine omni rei literatiæ detrimento quibusdam carere queamus.

Sed maneat usus, tollatur abusus.

b) In Polyhistore *Lib. I. c. XIX. §. I. p. m.* 215.

rus. Multum disputatur de Cynicis, a) a quibus Stoica dogmata, dicente Iuvenali, b) tantum tunica distant, sed quæro, anne origo ex vita Antisthenis, c) progressus ex vita Diogenis Sinopensis, & reliquorum hujus sectæ fautorum, d) finis autem ex Zenonis Cittiœi, simulque tota Cynicæ Philosophiæ Historia perfecta nobis constaret, si modo Diogenes Laertius aut reliqui Philosophorum biographi perfectam nobis dedissent, aut dare potuissent recensionem vitæ ab his philosophis peractæ? ego certe non dubito.

§. III. His itaque recte expensis, sic judico: objectum Historiæ Literariæ primarium, est sola commemoratio virorum, præcipue illorum, quos ingenio, eruditione, doctrina ac morum integritate cœteris præstitisse constat, ita, ut recensiones, non a quibusvis rudi penicillo delineatæ, sed vel ab ipsismet illis doctis viris, f) vel ab aliis ad vivum expressæ,

a) Vide Catalogum Scriptorum de Philosophia Cynica, quem dedit elegantissimus æque ac Doctissimus HEUMANNUS in Actis Philosophorum P. XII. p. 899. seq.

b) Satyr. XIII. v. 121.

c) Qui erat ex schola Socratis & postea peculiarem sectam instituit, quæ cynica audit, vocis derivatione certo haud cognita, conf. LAERTIUM lib. 6. cap. 16. IONSIUM lib. 1. de Scriptor. Hist. Phil. c. 8. p. 39. seq.

d) Præcipuus auditor & sectator *Antisthenis* erat famosus ille *Diogenes Sinopensis*, qui sæpe sub specie stultitiæ maximam texit sapientiam, illum sequebantur *Monimus* Syracusanus, *Demetrius* Corinthius, *Menippus* Phœnicius, *Onesicratus* Æginensis, *Crates* Thebanus, paucique alii. *Athenagoram* autem *Carneum*, *Cynulcum*, *Cynisc um*, *Hesperium*, *Julianum* *Apostatam*, *Lucianum*, *Nabalem*, *Platonem*, *Theodorum* & *Oenomaum* ex classe Cynicorum ejecit laudatus HEUMANNUS loc. cit. p. 912-922. conf. p. 901.

e) Primum Cynicorum auditor, postea sectæ Stoicæ conditor.

f) Optandum foret, ut omnium eruditione clarorum virorum

sæ, a) & ita confectæ: ut virorum in classes distributorum generationem, educationem, studia, peregrinationes, doctrinas, controversias, merita atque scripta edita & inedita itemque affecta, addito ubicunque judicio & fontibus ex quibus singulæ hauſtæ chronologico ordine traderent. Hac ratione historia eruditionis & ingeniorum simul exhiberetur quam egregie. Quemadmodum enim, affirmante *Barclajo* b) seculorum ætatumque discrimina non melius ex siderum motu, quam ex humani generis in varia ingenia ac studia deflectione distinxeris; ita nec aliunde eruditionis & scientiarum mutationes, quam ex eruditorum doctrinis dignoscuntur.

§. IV. Si ergo viri judicio & eruditione pollentes, conjunctis manibus operam darent inter se, ut hac ratione Philosophorum, Theologorum, Juris Consultorum, Medicorum atque reliquorum vitæ describerentur, querelarum de defectu in historia literaria facile finem facere possent. Etenim cum vis unita fortior, & ab uno alterove viro, etiam πολυμαθέσατῳ tale opus non sit exspectandum nec sperandum, optandum esset, ut in societatem coirent quam plurimi. Ita, ut alter alterius manum lavaret, singulique sym-

---

rum vitæ ab illis ipsis descriptæ prostarent, nam ex ejusmodi monumentis auctor aliquis intime cognoscitur. Recte enim judicat Cl. LILIENTHAL in consultat. de Historia Literaria scribenda p. 106. *quod præsumendum non sit, quendam tam perfricta frontis fore, ut impudentius de se scribere non erubescat; quin potius fides & dexteritas hujusmodi viri non facile in dubium vocare solet, licet in eis, quæ laudem merentur, de se verecundius scribat, prætereat vero, si quid forte est reprehendendum.* conf. exempla in M. WAGNERI Disp. de Scriptoribus, qui de sua ipsi vita exposuerunt.

a) Requisita accuratæ Biographiæ, omnium optime exhibet Cl. LILIENTHAL. loc. cit p. 107. seq.

b) In Icone animorum p. m. 68.

ſymbola ſua conferrent, unus autem ſive etiam plures, qui demerendis hominibus, provehendisque meliorum litterarum ſtudiis, clari, rem aggrederent, eruditos elegantiores in conſortium vocarent, totum opus dirigerent, & ſic abſolutum redderent.

§. V. Verum enim vero cum invidia, ſuperbia, ſtudium contentionis, ignavia & reliqua eruditorum vitia a) talem ſocietatem vix ſperare ſinant, ſatius eſſet, ſi eruditi Hiſtoriæ Literariæ amatores initium facerent, ſcribendo non ſcopas ſolutas ulterius reddere, ſed iſtas colligere. Hoc puto: quod non obſervationes, ſchediasmata & ſimilia longius ſcriberent, ſed ex vitarum ſcriptoribus, qui hoc ex inſtituto egerunt, ut & ex aliis etiam quibuscunque autoribus, qui obiter b) tantum aliquid de viris eruditis commemorarunt, tandem juſtum opus efficerent atque ſingula in ſua domicilia congregarent. c) Attamen cum præſens inſtitutum, ut hæc pluribus proſequar, non ſinit, data occaſione & obtento otio forſan alibi

a) Verum eſt, multos eruditorum laborare vitiis graviſſimi & intellectus, & voluntatis. Maximus eorum datur numerus qui hocce pertractarunt argumentum. Plerosque refert JOH. GODOFR. BüCHNERUS in eleganter conſcripto Schediasmate de vitiorum inter eruditos occurrentium Scriptoribus Lipſiæ 1718. 8.

b) Noſtra enim ætate, præcipue in Germania, iſtis digreſſionibus, quibus de eruditorum vitis magis lepide quam docte agitur, pleni ſunt cujuscunque generis libri, etiam ſchediaſmata & epiſtolæ; vix enim in teſtimonium vocatur autor, qui non ſtatim in adſperſa notula ſecum habeat vitæ hiſtoriam. Rem ita ſe habere conſtat, exempla colligere & de ridiculis præfationibus, ac inutilibus digreſſionibus ſcribere quis poſſet.

c) Hoc ſi fieret, paucis voluminibus ea exhibere poſſent, quæ in tot centuriis imo myriadibus ſchediasmatum & commentationum non ſemel, bis aut ter, ſed ſexies, ſepties, centies & infinito numero repetuntur, iterantur, deſcribuntur & ſic porro.

alibi ex instituto rem pertractabo. In præsenti tantum de Vitis Theologorum Ecclesiæ Lutheranæ, quibus describendis hactenus insudavi, dicam. Dicenda vero, ut ordine quodam suo contineantur, *primo* de Historia Biographiæ Theologorum Lutheranorum, *deinceps* de ordine atque methodo a me habendo, *tum* de subsidiis & fontibus Theologorum Vitas percensendi, ac *denique* de utilitate laboris mentem exponam, sed tantum paucis.

§. VI. Ad *primum* quod attinet, ipse LUTHERUS, qui etiam Historiæ Literariæ cultor atque æstimator erat, a) admodum utile judicavit Theologorum memorias ad posteritatem transmittere; quippe qui non solum Henrici Sutphanienſis, M. Georg. Winckleri, Leonhardi Cæsaris, Roberti Barnesii atque aliorum in constantia Evangelica defunctorum Martyrum, b) Martyrium literis mandavit, sed ad dictum Paulinum Ebr. XII. v. 7. reminiscentiam sanctorum Evangelii ministrorum commendavit. c) Lutherum secuti sunt Melanchton, Camerarius, Porta, Selneccerus & reliqui, quorum catalogum nectere jam constitutum est. Singulos autem, qui Theologorum Lutheranorum vitas exponere aut colligere in se susceperint in duas partes distributos sisto. Sunt enim a quibus remoto discrimine *simul* Theologi Lutherani & Calviniani, aut *singulatim* Lutherani collecti, recensentur.

§. VII. Inter illos ni fallor, omnium primus est *Jacobus Verheidenius*, qui vitas præstantium aliquot Theologorum, qui Romanum Pontificem, ut Christi

in

a) Vide amici & fautoris Cl. HALBAUERI disput. quod Lutherus politior: Literaturæ cultor & æstimator fuit. p. 50.

b) Conf. Viri summi Rever. Cel. MUHLII Dissert. Historico Theolog. p. 394.

c) Evolve Tom. VI. Opp. Altenburg. p. 1151. & 1369.

in terris Vicarium & ſancti Apoſtolorum principis ſucceſſorem præcipue oppugnare ſunt moliti, effigies, cum eorum vitis & librorum catalogis in lucem edidit Hagæ Comitum 1602. in fol. a) Illi jungendus eſt *Adami*, qui præter vitas Theologorum quorundam exterorum 1618. Francofurti in 8. primum editas, vitam quoque Theologorum Germanorum, qui ſeculo XVI. eccleſiam Chriſti voce ſcriptisque propagarunt & propugnarunt, clarorum, evulgavit Heidelbergæ 1620. 8. b) His ex Lutheranis addo *Erdmannum Uſenium*, a quo collectum habemus Lexicon curioſum Theologorum ſeculi XVI. & XVII. maxime inter Calvinianos & Lutheranos clarorum. c) Ex aſſeclis Romani pontificis huc refero Bibliothecam Autorum Eccleſiaſticorum ab eccleſia Romana ſeparatorum, autore *Ellia du Pinio* editam. d) Nec plane hic prætereundum eſſe exiſtimo *Henricum Oræum*,

---

a) Poſtea 1603. lingua Hollandica prodiit in 4. ob raritatem vero latine recudi fecit ROTHSCHOLTZIUS Bibliopola Noribergenſis 1725. fol. conf. Cl. BERNARDS curioſe gelehrten Hiſtorie p. 96.

b) Poſtea cum vitis Medicorum, JCtorum & Philoſophor. 1705. in fol. recuſæ. Conf. FABRICII *Hiſtor. Biblioth. Fabricianæ P. IV. p.* 251. *ſeq.*

c) Ex Pontificiis quoque nonnullorum vitas exhibet, ſed parce. Primum prodiit ſub Tit. Leben der berühmten Kirchen-Schribenten des XVI. & XVII. *Seculi* 1710. 8. poſtea 1714. titulo *Curieuſes Lexicon* derer Geiſtlich-Gelehrten, quo novam editionem bibliopola mentitur.

d) DU PINII Bibliothecam ipſe quidem poſſideo, ſed dignam illam non æſtimavi, ut in indice citarem, ſingula enim ex Wittenio & reliquis noſtrorum Theologorum biographis hauſit, nomina autem ſilentio transmiſit, & craſſiores errores immiſcuit. Titulus eſt: *Bibliotheque des Auteurs ſeparez de la communion de l' egliſe Romaine, du* XVI. *&* XVII. *Siecle Pars Tom. I.* 1718. *& Tom. II.* 1719. *in median* 8.

Oræum, a) ut & Lexicographos *Morerium*, *Buddeum*, *Hofmannum* maximeque *Bælium*, b) & ex Scriptoribus Historiæ ecclesiasticæ, *Centuriatores Magdeburgenses*, *Osiandrum*, *Compendium H. E. Gothanum*, *Micræliium*, *Kromayerum*, *Kortholtum*, *Arnoldum*, *Weismannum*, *Natalem Alexandrum*, *Höttingerum*, *Caroli memorabilia Seculi* XVII. atque virum Summe Reverendum *Dn. Cyprianum in continuatione compendii Gothani.* c)

§. VIII. Qui autem Theologos Lutheranos separatim colligeret omnium primus exstitit *Joh. Bismarcus* Ecclesiastes minoris Ammerslebii in Archiepiscopatu Magdeburgensi, qui vitam & res gestas præcipuorum Theologorum recentium edidit 1664. 4. sed judice Cl. *Colero* d) opus hoc exiguæ utilitatis & accurationis est. Sequenti statim anno, scilicet anno 1615. secutus *Augustinus Brunnius*, edito libello Synoptico novem plagularum, in quo recensentur præcipue Sacræ Theologiæ Doctores & Ecclesiæ ministri, qui ab anno 1500. usque 1615. in Germania vixerunt, ac juxta Aug. Conf. normam & formulam Con-

a) IOH CHRISTOPH. WINCKLERUS in epistola ad perillustrem Dn. de EYBEN de Biographis p. m. 100. *Oræum* inter biographos speciales Theologor. Luther. refert, titulus autem est, *nomenclator præcipuorum Ecclesiæ Doctorum, Scriptorum, Professorum &c. recentiorum Hanoviæ* 1619. *in* 12. ipse scriptum hoc nunquam vidi.

b) De Bælii Lexico recte judicat HEUMANNUS in Conspectu Histor. Lit. p. 188. *Ego*, inquit, *hoc opus vocare soleo Cornu Copiæ, cujus tamen fructibus pulcherrimis admixtum est lolii nonnihil.*

c) De his & reliquis Scriptoribus Histor. Eccles. confer. *Bossii*, *Slüteri*, *Sagittarii*, *Schmidii* & *Clarmundi* scripta infra §. 19. commemorata.

d) In analectis ad *Struvii* notitiam rei liter. p. 149.

a) De

Concordiæ, Evangelium Domini noſtri Jeſu Chriſti pure docuerunt, multisque editis piis ſcriptis ac libris fuerunt celebratiſſimi. Tubingæ in 8. a) Brunnium, quantum compertum habeo, excepit *Spizelius*, qui in templo honoris reſerato 1673. edito, quinquaginta Theologorum & Philologorum Lutheranorum, (*inter quos Calviſius, Hœſchelius, Schickardus, Eraſmus Schmidius, Berneggerus, Freinshemius, Paulus Slevogtius & Caſpar Barthius philologi, reliqui theologi*) effigies, merita & ſcripta edita atque inedita exhibet, commemorat. Accedit viri inſignis *D. Antonii Reiſeri* de claris quibusdam ævi iſtius Theologis epiſtola lectu digniſſima. Eodem cum Spizelio, tempore colligere & edere cœpit Memorias Theologorum Lutheranorum diligentiſſimus *Henningius Wittenius*, & primo 1674. ſex, deinde 1685. undecim memoriarum decades ex orationibus, concionibus & programmatibus collectas & catalogo ſcriptorum auctas, additis inſuper quibusdam epitaphiis, evulgavit. Hæc autem dum ageret Wittenius, opus majoris laboris, majoris utique utilitatis moliebatur *Joh. Frieder. Heckelius*, qui anno 1678. Sciagraphiam Hiſtoriæ univerſalis Theologorum Auguſtanæ Confeſſionis, ad quam concinnandam ſe quaſi natum, & a Deo deſtinatum eſſe exiſtimabat, b) forma epiſtolari ad perilluſtrem & ge-

a) De iſto libello hoc judicium tulit Illuſtris MOSERUS in præf. ad vitas Theol. Tübingenſium p. 6. *quæ commemoravit Brunnius exigui ſunt momenti, vix præter nomina Theologor. aliud quid tradentia.*

b) Ita enim ſcribit ſub initio hujus epiſtolæ: *ad concinnandam univerſalem Theologorum A. C. hiſtoriam me natum quaſi atque a Deo omnipotentiſſimo, ſtatim in peccatis, ut omnes ac ſinguli homines, a matre cum conciperer, ex gratia deſtinatum eſſe, ſerio inde colligo &c.*

& generosissimum Dn. DE SECKENDORF obtulit, varia quoque utilia collegit, sed nihil effecit, & collectanea post mortem ejus satis improvide fuerunt dissipata. a) Interim Heckeliana Sciagraphia occasionem dabat *Joh. Christophoro Rumetschio* Pastori Spiræ Nemetum, ut materiam ceu ligna & lateres ad tam illustre ædificium in schediasmate suo de universali Theologorum Evangelicorum historia, edita Spiræ 1679. 4. comportaret. b) Hactenus per quinque fere lustra cum nemo de vitis Theologorum ecclesiæ nostræ ulterius colligendis quidquam cogitaret, *Henricus Pippingius*, celebris postea Theologus Saxonicus, continuationem Wittenii in se suscepit, & primum anno 1705 uni tegumento LXX, biennio vero post altero involucro XXX. Theologorum Evangelicorum biographias involvit. Pippingio se statim adjunxit Celeberrimus Lübecensium præsul *D. Georg. Henricus Gœtzius*, qui evulgavit elogia Germanorum quorundam Theologorum, & quidem 1708. sistens decadem unam, c) 1709. autem altero volumine decades octo, d) qui etiam in scrinio suo adhuc conservat Semicenturiam Biographicam a Pippingio collectam, Gœtzio vero 1709. communicatam, e) & in reliquis

a) Testem habeo *M. Reinh. Ernest. Meyer* Ravensberga-Guestphalum virum doctissimum, & *historia quadripartitæ eruditionis clarum*, sed in ætatis flore extinctum, ille in Collegio Historiæ literariæ MSto hæc refert. Conf. Iudicium FEUSTELII de Heckelii labore in epistola de eruditor. Germ. vitis p. 240.

b) Annotante Cl. DORNIO Rectore hodie Blanckenburgi, amico honoratissimo, in Bibliothec. Theolog. P. I. p. 187.

c) Lubecæ 8. pl. 15.

d) Ibidem 1709. 8. 2 Alph. In ultimo volumine occurrunt vitæ Pastorum Lübecens. & Lipsiens. quamplures non usquequaque celebrium.

e) Vide peculiar. b. PIPPINGII epistolam ad Gœtzium 1709 Lipsiæ in 8. edita.

reliquis magno numero a se in lucem editis scriptis & schediasmatibus litterariis ea ubivis habet, quæ de Theologorum Lutheranorum vitis singularia tradunt. a)

§. IX. Post Gœtzium, si excipias *Cl. Wendeleri* eruditam disputationem, de præcipuis quibusdam Seculi XVI. & XVII. Theologis, b) nescio an quis supersit, c) qui in colligendis Theologor. Luther. vitis generatim quid præstiterit. Fuerunt autem, qui unius alteriusque Theologi Lutherani vitam separatim exararunt, aut Theologos variarum Academiarum atque Ecclesiarum pro suo quisque studio ac scopo summatim complexi sunt, aut denique non tam illorum vitas, sed singularia ex illorum vitis constiparunt. Scriptores vitæ unius alteriusque Theologi in adjecto indice larga manu adduxi, reliquos nunc strictim commemorabo.

§. X. Ad *Academias* itaque primum pervenio. Theologorum in ACADEMIA WITTEBERGENSI elogia condidit *Balthasar Mencius* in elogiis præcipuorum Doctorum & Professorum Theologiæ in Aca-

---

a) Optandum itaque foret, ut singula conjunctim ederet venerandus GOETZIUS, cujus spem fecit in Catalogo librorum, qui in nundinis Lipsiensibus prodire solet, Anni 1725. Parte ultima, ubi inter scripta proxime edenda legitur: *G. H. Gœtzii Bibliotheca Lubecensis in div. Disputat. Repositor.* 1) *Scriptorum Theologicorum.* 2) *Scriptorum Histor. Lutheranismi & Papismi illustrant.* 3) *Scriptorum Quæstiones curiosas & casuisticas illustr.* 4) *Scriptor. Catechheticorum,* & 5) *Histor. Eccl. Literariorum.*

b) Luthero, Melanchtone, Flacio, Chemnitio, Joh. Gerhardo, Joh. Tarnovio & Geiero. Habita est Præside *Sontagio*, Altorfi 1710.

c) *Rauschardi* enim Threnologiam 1607. *Hanii* Threnologiam quatuor Theologorum 1628. & similia, consulto & de industria omisi.

Academia Wittebergensi 1606. 8. *Joh. Bismarcus* in vitis Theol. Lib. I. & *Andreas Sennertus* in Athenis & Inscriptionibus Wittebergensibus, quibus aliquando palmam in hac re præripiet *Cl. Colerus* a) pastor hodie Vinariensis meritissimus. Adde *Lenzii* seriem Professorum natione Francorum, qui Wittebergam illustrarunt 1702. 4. Vitas Theologiæ Professorum in Academia LIPSIENSI nemo ex instituto recensuit, ea enim, quæ ad Professorum Lipsiensium vitas collegit *Augustus Quirinus Rivinus* Medicus quondam Lipſ. per orbem celebris, adhuc in MSto latent, b) interim *Vogelii* Leipziger Jahr-Buch, & ejusdem Geschiches-Calender potiora habent. JENENSIUM Theologos dedit primum *Beyerus*, c) *Zeumerus* & denique *Richardus*, inque eorum supplementum ipse haud pauca collegi, nonnulla in serie Theologorum Jenensium Diario Salano inserto & separatim edito, jam evulgavi. ERFURTENSIUM Theologos an quis tradiderit ignoro, catalogus autem illorum ex *Hondorfio* aliisque collectus, extat in Cl. *Olearii* rerum Thuringicarum syntagmate, d) cum quo conjungi meretur Anonymi (forsan *Weinrichii*) Nachricht von der Stadt Erffurt, 1713. 8. & *Biantes* in vitis illustrium & eruditorum Erfurtensium 1722. 8. Nec de ROSTOCHIENSIUM Theologorum vitis, præter *Grapii* Rostochium evangelicum lingua germanica 1707. in 12. & *Habichhorstii* Rostochium literatum 1700. in 8. evulgatum vix quidquam prostat, *Sebastiani*

a) Qui spem fecit in vita Wernsdorffii ad vitas Theologor. Wittebergens. conscribendas.

b) Vide Leipziger gelehrte Zeitungen 1720 p. 39.

c) Apud Heredes *Beyeri* varia inedita, quæ statum eccleſiast. civilem & litterarium Jenensem describunt, asservantur, v. *Struvii* introduct. ad Notit: rei liter. p. 320.

d) Tomo 2. p. 23. seqq.

ſtiani autem *Bacmeiſteri* Hiſtoria Conſervatorum, Cancellariorum & Rectorum, Profeſſorum &c. a) Roſtochienſium ad annum 1700. productam, nondum in lucem exiit, b) cujus tamen edendæ & abſolvendæ ſpem fecit in notis ad Acta Philippica paſſim Cl. *Joh. Bacmeiſterus* filius Medicus Tübingenſis. Academiæ TüBINGENSIS Theologos recenſere conſtituit *D. Joh. Jacob. Moſerus de Filſeck & Weilberg*, Conſiliarius Würtembergicus. Cujus initium fecit Anno 1717. quo primam evulgavit Decadem. Reliqua expectamus, ſed forſitan fruſtra. *Erhardi Cellii*, Imagines Profeſſorum Tübingenſium 1596 in 4. editæ, parum huc faciunt. De HELMSTADIENSIUM Theologis proſtat deſcriptio *Gebh. Theodori Meyeri* in monumento Academiæ Juliæ 1680. 4. Ad Theologorum GIESSENSIUM vitas varia collegit Vir Summe Reverendus ac fautor ſummopere colendus D. *Liebknechr*, quæ benevole mecum communicare promiſit. GRVPHISWALDENSIUM Theologos præcipuos commemorat *D. Jac. Henrich Balthaſar* in der Sammlunge einiger zur Pommerſchen Kirchen-Hiſtorie gehörigen Schriften 1723. & 1725. in 4. c) De Theologis ARGENTORATENSIBUS, REGIOMONTANIS, RINTELENSIBUS & KILONIENSIBUS ex inſtituto deſcribendis hactenus nemo cogitavit, incredibili itaque ardeo cupiditate, ut nomina & merita illorum ſcriptis illuſtrentur, aut particeps fiam documentorum ex qui-

a) Etiam Baccalaureorum, Licentiatorum & Doctorum, a Theologica facultate in Academia Roſtochienſi promotorum, quemadmodum in epiſtola MSta a ſe ipſo ad virum quendam Summe Rever. 1702. exarata refert.

b) Conf. Dn. de SEELEN Athenar. Lübecenſ P 1. 269.

c) Quæ adhuc deſiderantur, ni fallor, Autores Annalium Academ. Gryphisvvaldenſ. nuper in Holſteiniſchen Zeitungen, 1726. n. 117. promiſſarum explebunt.

quibus ipse, ea, quæ lectu digna & jucunda sunt, exhibere queam. Theologos ALTORFINOS egregio & laudabili instituto recensuit vir S. R. D. *Zeltnerus* 1724. 4. HALLENSES vero ipse colligere cœpi, conferri tamen potest *Anonymi* kurtze Nachricht von Halle 1709. 8. Academiæ, FRANCOFURTANA AD VIADRVM, HEIDELBERGA & MARPURGVM, præstantissimos quando orthodoxæ essent, dederunt Theologos Lutheranos, quorum notitiam exhibet *Becmannus* in notitia Universitatis Francofurtanæ 1707. fol. *Struvius* im Bericht von der Pfältzischen Kirchen-Historie 1721. 4. *Nigidius* in elencho Professorum Academiæ Marpurgensis 1591. 8. *Joh. Georg. Esthor* in vitis Prof. Marpurgensium 1726. a) &c. HAFNIENSIS Academiæ Theologos dedit *Erasmus Vindingius* in Historia Academiæ Hafnienſis 1665. 4. b) cujus continuationem quidem molitus est *Petr. Joh. Resenius*, sed morte præventus colophonem operi non imposuit, c) quare *Andr. Frölundi*, Assess. Consist. Ebr. Ling. Prof. & Rectoris scholæ Hafnienſis Historiam eruditorum Hafnienſium eo avidius expectamus d) SORANÆ in Selandia academiæ faciem expresserunt *Magnus Frisius*, *Otto Schelius*, *Nicol. Canutus Duropius*, *Canutus Schæstedius*, *Joh. Suaningius* & *Franciscus Paulini*, e) quos etiam in subsidium notitiæ Theologorum Academiæ Soranæ consulere necesse est. Ad Academi-

mias

a) Juxta *Nova Liter. Lipſ. germ.* 1726. *p.* 222. & 554.

b) Adde RAUPACHIUM de præsenti rei sacræ & literar. in Dania statu, & ALBERTI THURÆ ideam Histor. Liter. Danorum 1723. editam.

c) Teste NICOLAI PETRI SIBBERN in Bibliotheca historica Dano-Norvvegica p. 309.

d) Vide ALB. THURÆ Ideam Historiæ literariæ Danorum p. 10.

e) Conf. SIBBERN loc. cit p. 310.

mias tandem Regni Sueciæ, videlicet UPSALIENSEM, DORPATINAM, ABOENSEM & LUNDENSEM, adde *Pernavienſem* in Livonia, quod attinet, tantum abeſt, ut ſiniſtra illa in animo meo hæreat opinio, paucos in Suecia fuiſſe Theologos celebres, a) ut pleniorem illorum notitiam multo magis optarem, pauci enim ſunt Theologi Suecici, quorum memoria extat apud Wittenium, Pippingium & Schefferum, Cl. autem *Andr. Anton. Stiernmanni*, Aboa literata 1719. 4. & *Gabr. Silobergi* Pernavia literata 1703. & 1704. apud nos rariores ſint, quam ut conferre poſſent, & *Anonymi* (id eſt, Richardus von der Hardt, Osnabrugenſis) Holmia literata equidem non contemnenda de Suecorum ſcriptis tradit, ſed illorum vitas ſilentio præterit. b)

§. XI. Huc etiam omnino ſpectarent Scriptores, qui de illuſtribus Gymnaſiis, eorum Profeſſoribus Rectoribus atque horum collegis commentati ſunt c), ſed de iis in præloquio ad indicem Philologorum Lutheranorum aliquando dicendi erit campus. Antequam vero hæc de Theologis Academicis abrumpo, non pigebit de inſtituto Cl. Duumvirorum *Meelführeri* & *Blumii* in colligendis Theologorum Lutheranorum diſputationibus inauguralibus quædam hic legere. Singula autem *Rudolph. Martin. Meelfüh-*

rer,

a) Eruditos Sueciæ contra ſiniſtre ſentientes nuper vindicavit M. NICOL. P. OSANDER in Diſputat. de fama eruditorum in Suecia 1725. adde Cl. WESTPHALI tract. de conſuetudine ex ſacco & libro in Germania p. 144.

b) Hamburgi quoque prodire cœpit der Schwediſchen Bibliothec, erſtes Stück, 1726. quæ in continuatione de re literaria & literatis Suecorum lectu digna exhibebit.

c) Inter quos maxime huc faciunt b. LUDOVICI Hiſtoria ſcholarum Part. V. cujus continuationem meditor, SELENI Athenæ Lubecenſ. Part. IV. 1719-1722. WAGNERI ſeries collegarum Gymnaſii Fribergenſis 1709, item 1717. PRÆTORII Athenæ Gedanenſes 1713. &c.

rer, qui postea per apostasiam famam suam non parum conspurcavit in epistola quadam MSta 1701. exarata, prolixe satis commemorat: „Parens, inquit, „meus *Joh. Christoph. Meelführerus*, S. Theol. Licen„tiatus Ecclesiæ in Principatu Onoldo Brandenb. „Decanus &c. collegit a 30. annis Disp. Theol. Inau„gurales pro Baccalaureatu, aut Licentiatu, aut Do„ctoratu a Theol. Evangel. habitas in omnibus Da„niæ, Sueciæ & Germaniæ Academiis, studio inde„fesso, sumtibus non exiguis, & summorum Theolo„gorum Polyhistorumque benevolentia stipatus. Pos„sidet *Wittebergenses* a Luthero hucusque habitas sin„gulas, numero 235. *Lipsienses* possidet 242, desiderat „& quærit in quibus angulis aut loculis anxie Differt. „Lips. Henr. Salmuth, Henrici Stoli, Justi Winteri, „& Gabr. Lotheri pro licentia. *Jenenses* adsunt ad „unum omnes 109. *Giessenses* omnes, 79. *Halenses* „omnes, 9. *Rostochienses* omnes num. 98. exceptis „Martini Chemnitii, Joh. Fabri, Henr. Heshusii. Disp. „*Helmstadienses* 51. unica Theod. Berckelmanni Disp. „deficiente 1616. habita. *Tubingenses* adsunt 77. de„sunt D. Joh. Försteri 1539. Aulberi 1539. Erhard. „Schnepfii 1539. Jac. Beuerlini 1544. Theod. Schne„pfii, Ruperti Durri 1554. Jac. Andreæ 1553 Lud. Ra„bi, 1553. Henr. Weickersreuteri 1558. Henr. Effer„hen 1558. Laur. Frisæi 1562. Wilh. Bidembach „1564. Conrad. Wolfg. Plazii, Phil. Heerbrandi, L. „Osiandri eod. ann. W. Zimmermanni 1569. Andr. „Osiandri 1591. Hafenrefferi 1591. Fel. Bidembachii, „G. Rosæ 1604. T. Lotteri 1612. H. Mitthobii 1625. „B. Philgi 1652. *Gryphisvvaldenses* possidemus 50. „desunt Magerii, Dume, Knipstro 1547. Gerschovii, „J. Rungii 1558. B. Rhau 1627. Jac. Henningii 1679. „habitæ disputationes. *Kilonienses* omnes, 24. *Ar-*

gento-

„*gentoratenſes* omnes: 23. *Regiom.* adſunt 22, deſunt „Georgii Fabricii & Pauli Sleupneri. *Rintelenſes* 22. „*Altorfinæ* omnes, ab Ann. 1697. habitæ num. 5. *Haf-*„*nienſes* adſunt 44, deſiderantur diſſ. Olai Chryſoſto-„mi, Nic. Kragii, Joh. Svaningii 1545. Joh. Alberti „1559. Nicol. Hemmingii, Andr. Laurentii 1563. „Erasmi Catholmii 1572. Johann. Thomæ eodem „anno, P. Matthiæ, Johann. Seelderupii 1575. „Jacob. Matthiæ 1582. Petri Winſtrupii 1591. „J. Reſenii 1591. Johann. Pauli Reſenii 1597. Joh. „Reſenii, C. E. Brochmanni 1616. Thomæ Bangii „1652. Academia *Lond. Scan.* ſolum Joſuam Schvvartz „qui 1672. diſp. ſuppeditat. *Franc. Acad. ad Viadrum* „cum orthodoxa eſſet, dedit 25. *Baſilea* orthodoxa „doctores peperit J. Winckelmannum 1581. Joh. Olai „1583. deſideratur P. C. Phrygio, qui 1560. orthodoxe „ibidem diſputavit, *Erfurtum* orthodoxum oſtendit „G. Groshain 1633. Nic. Zapf. B. Elsner 1633. & Sam. „Zehnerum 1634. *Heidelberga* orthodoxa dat P. Pa-„tientem 1582. Jacob. Schopperum 1582. & J. Fladun-„gum 1583. *Marpurgum* orthodoxum ac Evang. Lu-„theranum dedit 14. deſiderantur a nobis Henr. Vic-„tor, Nic. Rodingius, Wig. Orthius, J. Lonicerus, „Hyperius, Gualtperius, Waltmanshauſen. Poſſi-„demus *Aboenſes* J. Gezelium P. Laurbechium, J. J. „Lang, Jac. Flachſenium, Joh. Flachſenium, E. Sve-„nonium, Alanum, N. Rudbeckium, Beng. Poſſide-„mus *Upſalienſes*: E. Odhelium, Terſerum, P. Rudbe-„ckium. J. Gezelium, Oldekop. L. Odhelium, J. Eve-„nium. *Dorpatenſes*: Gœtſchenium & Mancelium: „deſiderantur vero a nobis e Svecia Botvidus, J. Ma-„gni, J. L. Stahlenus, Petræus, Lenæus, Laurelius, „Stigzelius, Brunner, Svebilius, Emporagrius, Jern-„feld, Mœberus, J. Poppelmannus, Benzelius, Lin-

„nerius. Præterea anxie desiderantur a nobis disp. „de quibus dubium est, ubi habitæ fuerint D. Andr. „Musculi, J. Ludicke, J. Frittleri, G. Pistorii, G. Wa- „gneri, Dreyeri, Fidelis Weinmari, J. Hoch, Smeden- „stadii, J. Halbmeieri, P. Pfeffingeri, B. Runebaum. „Qui 1693 in Svecia per Regium diploma fuerunt „creati, eorum nomina dedit amicus, sed programma „desidero, nec non programmata eorum Episcopo- „rum, qui superioribus annis in Dania in Doctores „Th. sunt promoti Regia indulgentia absque disser- „tationibus. -- -- Elaborant in hac inaugurali Bi- „bliotheca Theologica adornanda, multumque pa- „rentem meum juvant Theologi Philologique sum- „mi, inter quos nunc orbis Theologici ac literarii „ornamentum *J. Fechtius*, eminet, neminem tamen „hucusque indagare potuit Ven. Parens meus, qui „tot jam collegerit volumina (sunt eorum XLIII. sa- „tis spissa) dissertationum inaugural. Theologic. or- „thodoxarum, & qui in tali opere omnem posuerit „operam, (quam alia occasione publica tabula uberius „declarabit ipse) præter V. C. *Christoph. Jac. Blumium* „*Past. Sen. ad D. Cathar. Brunsvic.* qui Parentis fidus „in hoc labore socius, jam ab 1689. est, eundemq; cum „illo alit in singulis dissertionibus a Theologis Luthe- „ranis pro Licentia summos in studio sacro honores „consequendi a repurgata per D. Lutherum doctrina „hucusque in omnibus Academiis habitis coacervan- „dis, ardorem." *Hæc Meelführerus.* Quibus tantum addo, si disputat. ejusmodi inaugurales Theologorum Orthodoxorum, cum autorum vitis quemadmodum *Meelführero* & *Blumio* erat animus, justis voluminibus, juxta academias dispositis, ita conjunctim exhiberentur, non parum utilitatis & amœnitatis allaturum esse Theologiæ studiosis; quare frustraneum istum

istum præstantissimorum virorum fuisse laborem eo magis dolemus: Meelführeri enim collectanea sunt distracta, & de Blumii quoque laboribus post fata vix quidquam sperare licet.

§. XII. Sed e diverticulo in viam. Enumeratis præcipuis Theolorum Academicorum biographis ad illos nunc transeo, qui Theologorum certarum ecclesiarum nomina, vitas, merita aut scripta recensuerunt. Et illi sunt vel *generaliores*, qui provinciarum, vel *speciales*, qui certarum urbium atque locorum Theologos exhibent. Ad *primam classem* refero *Adriani Regenvolscii* sive *Andreæ Wengerscii* a) Systema Historico-Chronologicum ecclesiarum Sclavonicarum per provincias varias, præcipue Poloniæ, Bohemiæ, Lituaniæ, Russiæ, Prussiæ, Moscoviæ &c. distinctarum 1652. 4. Huc quoque spectant *Serpilii* epithaphia Theologorum Svevorum 1707. & 1710. 8. *Fischlini* memoria Theol. Würtemberg. resuscitata 1710. 8. cum qua conjungi debent ejusdem autoris vitæ præcipuorum Cancellariorum & Procancellariorum Ducatus Würtemb. 1712. 8. *ICCanders* (i. e. Joh. Christian Crellius) jetzt-lebendes geistliches Ministerium im Chur-Fürstenthum Sachsen 1723. & 1724. 8. *M. Joh. Ferbers* alt und neues Ministerium im Hertzogthum Würtemberg 1721. 8. *Raupach* de præsenti rei sacræ & literariæ in Dania statu 1717. 8. *Joh. Christian Twomæ* Lebens-Beschreibunge aller Evangelischen Prediger des Coburgischen Fürstenthums 1722. atque alii, quorum vestigia etiam premet Pl. Rever. *Joh. Georg Bertramus* in edendis Superintendentium Generalium Ducatus Lüneburgici, vitis, quorum catalogum dedit in præfatione ad historiam Lüneburgen-

a) *Regenvolscium* & *Wengerscium* unum esse, docet epistola CHODOWIECKI im gelehrten Preussen Tom. II. part. 2. n. 3.

sem, a) nec non amicissimus mihi *Joh. Lud. Seipius*, pastor Hamelensis meritissimus, qui ab aliquot jam annis colligere cœpit nomina Theologorum ecclesiæ Lutheranæ & Calvinianæ adhuc viventium, quo simul statum ecclesiæ Protestantium præsentem in tabula delineare constituit.

§. XIII. A generalioribus pergimus jam ad eos, qui de Theologis *singularum urbium* egerunt, ubi tanta se offert multitudo, ut de illis peculiarem scribere quis posset Bibliothecam, b) annotamus modo *Colbii* Presbyterologiam Prussico-Regiomontanam 1657. Historicam narrationem Superintend. Vinariensium a tempore Reformationis usque ad 1616. Ienæ 1616. M. M. C. Syllabum Pastorum Diœceseos Altenburgensis 1645. *Joh. Müllers* schediasma de Altenburgensis ecclesiæ præsulibus 1694. *Petri Franckii* Syllabum pastorum ecclesiæ Sulanæ Evangelicorum 1666. *ejusdem* aureum ecclesiæ Hilpershusanæ candelabrum 1669. *Köberi* disput. de Geranis Superintendentibus 1682. *Libhardi* catal. Superintend. Baruth. in oratione valedictoria Baruthi 1693. habita. *Schlegelii* Lebens-Beschreibung der Superint. zu Dresden 1697. *Treiberi* Programma de Superintendentibus Arnstadiensibus 1700. *Anonymi* (i. e. *Vogelii*) Geschichts-Calender der Superint. zu Leipzig 1698. b. *Christoph. Iacobi Blumii* Braunschweigis. Prediger-Gedächtniß 1706. 8. a quo etiam collectæ memoriæ Theol. Hildesianorum, sed nondum editæ. *Ephraim Pratorii* Dantzi-

a) Conf. Nov. Liter. Germ. 1708, p. 339.

b) Universalem scriptorum Biograph. Bibliothecam condere instituit LEPORINUS Medicinæ D. & Histor. Liter. Cultor acerrimus. Vide Præf. ad vitam Guilielmi Hildani p. 22. Interim huc confer. BOSIUM de Scriptoribus Hist. Ecclesiast. ex editione Walchii p. 155. seq. STRUVIUM, SAGITTARIUM & alios.

Dantziger Lehrer Gedächtnisse 1704. *Lauterbachi* Vita Valer. Herbergeri & Histor. Pastor. Fraustadiensium sive Fraustädtisches Zion 1708. & 1711. *Hofmanni* Lebens-Geschichte aller Evangelischen Pastoren zu Laubau 1707. *G. M.* (i. e. *Godofredus Münch.* a) teste Schrœtero in historia exulum p. 96.) Verzeichniß der Evangelischen Prediger zu Zittau 1708. *S. I. Arnoldi* nomina cleri Schneburgensis 1708. *Lehmanni* nomenclatorem ministrorum Diœcesis Annæbergensis a tempore repurgatæ doctrinæ ad nostram ætatem 1708. *Hansi* memoriæ concionatorum Lutheran. Uratislaviensium 1710. *Pantkens* Lebens-Beschreibunge der Prediger in Breßlau 1713. & 1715. D. *Wilischii* memoriæ Superint. Annæbergensium 1710. *Ejusdem* Pirnensium 1712. *M. Christ. Mich. Fischbeck* vita Ephororum Longo-Salissæ 1717. *Funckens* Lebens-Geschichte der geistlichen Personen der Stadt Görlitz 1711. *Lucii* biographia Ephororum Bornensium. 1712. *Ludovici* notitia Ephororum cœterorumque ecclesiæ Schleusingensis Ministrorum 1711. *Nathan* vitæ pastorum Neohaldeslebiensium 1715. *Anonymi* (i. e. *Christian Schlöpke*) Nachricht von den Kirchen / Superintendenten und Pastoribus im Fürstenthum Lauenburg 1715. b) *Mantzelii* Schediasma de Superint. Parchimensibus 1717. *Göldneri* memoriæ Superint. Friburgensium 1717. D. *Joh. Andreæ Gleichii* dissertationem de Theologis Electoralibus Saxonicis in aula Dresdensi, qui a tempore Reformationis sacris præfuerunt, prodromi loco biographiæ illorum præmissa 1719. *Schumacheri* memoriæ Antistitum sacrorum Grimmensium 1720. *M. Tor-*

a) *Hansi* in præf. ad memor. concionat. Uratislav. *Martino Grunevvald* hoc scriptum tribuit.

b) Recte judicat vir cl. De SEELEN hoc scriptum esse rarissimum Tom. 2. Athen. Lubec. p. 295.

chilli Badenii Series Chronologica Episcoporum Sædlandiæ Hafn. 1720. in 8. Danice edita. *M. Paul. Christian.* Hilschers etwas zur Kirchen-Historie von Alt-Dreßden 1721. *Frenckelii* Diptycha Ositiensia 1722. *M. Casp. Gottschling* Nachricht von denen Superintendenten und Inspectoribus in der Neustadt Alt-Brandenburg 1726. Et præcipue *Casp. Henrici Starkii* Leben der Lübeckischen Superintendenten, opus imitatione dignum, cujus quinque partes priores Hamburgi 1724. prodierunt, quas ut ceteræ propediem sequantur, est quod ob libri præstantiam & utilitatem optamus.

§. XIV. Plures, etsi possem, jam non addo. Habenda tandem etiam ratio est illorum, quorum studio & opera ex Theologorum vitis congesta sunt singularia. Certe, ut alia nunc omittam leviora, plurimum huc faciunt *D. Ioh. Casp. Lœscheri* Verzeichniß Durchlauchtiger Personen/ so in Theologischen Wissenschaften sich hervorgethan 1719. *Ejusdem* merita Theologorum in rem literariam 1720. *D. Rollii* Bibliotheca Nobilium Theologorum a) 1709. *Niebenck* nobilis Theologus Lutheranus 1708. *Matth. Hansi* de Theologis generosis evangel. Lutheranis 1705. *Sam. Theod. Schmid.* de Theologis in utero matris Deo consecratis 1707. *Gottl. Wegneri* oratio de liberis & libris sacerdotum 1697. *Feustkingii* palinodia sacra, sive de retractationibus Theologorum 1711. *Zeibichii* epistola de Theologis ad tempus commodatis 1709. *M. Ioh. Tobias Gleich* de singularibus quorundam Theologorum fatis 1714. *M. David. Schulteti* den von der Schule zur Kirche beruffenen Hamburgischen

a) Annotante celeb. WALCHIO in programmate de Germania Historiæ Literariæ splendore illuminata, Rollii Bibliotheca postea hoc titulo ornata prodiit *M. Ioh. Rudolphi Wigandi* tract. Historico critico curiosus de Nobilib. Theologis.

ſchen Prediger 1709. *Meintel* de Theologo Philiatro 1717. *Ierichovii* ſchediasma de Theologis in actu ſacro & ſtatione ſua mortuis 1724. *Hanitſch* das fromme und geſegnete Prediger Geſchlecht 1716. *Math. Hanſi* de Theologis Macrobiis vel ex vel in Luſatia 1712. *Blume* de Theologis per decem luſtra publico officio functis 1710. *D. Gœtze* ſcripta varia 1709. 1711. & 1712. de Theologis ſemi ſecularibus edita, ut & de Theologis ſub auſpicio novorum officiorum mortuis. *Feuſtelii* gratulatio ad Caſp. Lœſcherum de filiis Theologorum laudatis 1702. &c. Et ad præſens comma quoque refero. b. *Serpilii* Lebens-Beſchreibung der Bibliſchen Schribenten 1708. ut & ſcripta hymnopœographica, præcipue *Cl. Ioh. Chriſt. Olearii* Evangeliſcher Lieder-Schatz Part. IV. 1705. *Cl. Schamelii* Lieder-Commentarium Part. 2. 1724. & 1725. *Wetzelii* Hymnopœographiam Part. 3. 1709-1724. & reliqua *Olearii, Serpilii, Schamelii, Gœtzii, Sculteti, Ludovici, Tentzelii, Avenarii, Wimmeri, Gœtzingeri, Seiffarti*, aliorumque ſchediaſmata hymnos aut hymnopœorum vitas illuſtrantia, catervatim edita.

§. XV. Et hæc eſt brevis Biographorum Theologorum Lutheranorum recenſio, ex quibus conſtat, quod inter deſideria literaria adhuc plena atque perfecta ſit horum Theologorum deſcriptio & collectio. Fuerunt equidem, qui tale opus abſolutum reddere decreverant, an vero hodie iſtiusmodi labori quis incumbat, ego plane ignoro. Amicus enim cujus Cl. *Dornius* meminit a) qui juxta Summe Rever. *Buddei* conſilium vitas Theologorum eccleſiæ noſtræ colligere & deſcribere ſibi propoſuerat, animum mutaſſe, ab ipſo Dornio certior ſum factus; & celeber-

 rimum.

a) In Bibliotheca Theologica Part. I. p. 188.

rimum. *D. I. Casp. Lœscherum* promissam a) Bibliothecam universalem Theologorum A. C. non mutatæ, exhibiturum esse, ob officii ejus, quo fungitur gravitatem, adhuc dubito. Neque Vir Sum. Rev *D. W. Erytropilus*, Superintendens Hannoveranus meritissimus, vitas Theologorum Lutheranorum multo labore, temporisque ac sumtuum præterea impendio comparatas editurus est, cum alia longe negotia nunc totum sibi illum vindicent, & grato animo agnosco, quod ex collectaneis suis nonulla obtulerit, quid? quod & reliqua mecum communicare statuerit. Quid autem facturus sit Weidavienſium hodie Antistes, *Feustelius* vir doctus & probus, nondum compertum habeo, etsi teneo magni illum studium hoc facere, b) & a nonnemine mihi relatum esse, futurum forsitan, ut & clarorum quorundam Theologorum Lutheranorum vitas uno comprehensurus sit volumine. c) Denique versatissimus in hoc studiorum genere *Adam Pantkenius* anno 1710. pollicitus est Historiam Theologorum Seculi XVII. universa-

a) In præf. ad tract. de meritis Theologorum in rem literariam.

b) Ipse de studio suo Biographico in epistola ad beat. HENR. PIPPINGIVM de eruditorum Germanorum vitis 1707. edita p. 146 iter alia scribit: „Ego ipse vel maxima in meum marsu„pium injuria per plures annos Eruditorum Germanorum coa„cervavi vitas. Præter illos enim, quos in libris & ex libris in „locis meis biographicis annotavi, sigillatim plures collegi, non „quidem ex meris concionibus funebribus, sed etiam Panegyri„cis, quibus plures tomi in mea constant libraria, & aliis relatio„nibus depromenda.

c) Præterea legi in Relat. Holsat. 1724. num. 78. Feustelium editurum esse: *Collectaneorum libros tres, in quibus multis de vitis illustrium eruditorum virorum agitur, simulque Epistolæ & scripta nondum edita virorum clarorum e tenebris in lucem protrahuntur.*

versalem,a) sed e diuturno silentio facile intellectu est, stadium ingressum se expedire nolle. Ego itaque, licet tenuitatis meæ admodum memor, autoritate præstantissimorum virorum & amicorum, svasu tandem commotus, ante duo fere lustra, cum Ienæ studiis operam darem, ad hunc laborem perficiendum animum adplicui, & haud pauca non sine cura, nec labore, nec sumtu colligere cœpi. Nec existimavi felicius me collocare posse horulas subcisivas, quam si post alios in adornandam & colligendam novam Theologorum Lutheranorum Bibliothecam has studiosius impenderem. Ut vero aliorum judicia de conatu isto meo prius expiscarer, quo perfectius deinde edi posset, ipsum opus, ante biennium epistolam germanicam ad eruditos Historiæ Ecclesiasticæ & Literariæ amatores emisi, in eaque de totius operis structura pauca edisserui, judicia, monita atque obstetricantes manus eruditorum efflagitavi. Atque hic tam fasti moliminis embryo fuit. Cum vero deinceps varie a variis admonitus, nonnulla in eo finxi atque refinxi, singula autem, ut ratio instituti mei eo rectius patescat omnibus, paucis iterum explicabo.

§. XVI. Scilicet constitui mecum, si Deus vitam, sanitatem & otium concesserit, Theol. A.C. addictorum ac scriptis & meritis, etiam mira fatorum vicissitudine, celebrium, vitam resq; in ecclesia & republica literaria gestas, ab initiis ecclesiæ a Luthero repurgatæ ad præsentem usque ætatem ordine chronologi-

a) De *Pantkenii* labore ita lego in Theatro librorum sive Bücher-Saal T. I. Part. VI. p. 500: er arbeitet auch über einer *Historia Theologorum Seculi XVII. universali*, darinn derselbe 1) *Vitæ*, 2) *memorabilia*, 3) *scripta*, und 4) die *judicia* davon umständlich vorgetragen werden. Adde Rel. Innoc. 1710. p. 899.

eo a) ex fontibus & subsidiis fide dignis germanica lingua, ita elaborare & colligere, ut eorum vita, fata, animi dotes, qualitates, mores, virtutes, nævos, b) etiam casus atque calamitates, peculiares hypotheses & controversias, quas habuerunt cum aliis, scriptorum vel editorum, vel in MStis latentium c) vel affectorum catalogum, secundum temporis ordinem dispositum, itinera, amicos & familiares, & inimicos, commercium literarium, genealogias, d) & quæ erunt

a) Et quidem non quoad annum nativitatis aut celebritatis, quemadmodum aliis placuit, sed obitus, quia hoc ob certas rationes, quas prolixius deducere hujus loci non est, magis commodum mihi fuit visum.

b) Solent equidem omnes fere historici isto laborare vitio, (v. BALDVINI *methodum Histor. c. 4 p. m.* 59.) quod suorum popularium dignitatem honesto mendacio tueri, aut juxta *Nicephorum* pictoris instar non naturæ nævos pingere, sed transire studeant. Sed ego talem imaginem pingere nolo, in qua virtutum omnium perfectio fuerit, sine ullo nævo: sed bona fide & candide historiam narrabo: & quibus in rebus bene meritus sit unusquisque in ecclesia, dicam Hoc enim juxta BZOVIVM *in Histor. Eccles. p.* 100. decet quemlibet Historiographum, ut per meræ probitatis, & veritatis vinculum sive sint bona, sive sint mala, dictamen rerum regulariter scribat gestarum. Hinc recte in *Rel. Innoc.* 1724. *p.* 115. **Gesetzt auch/ daß Fehler der lieben Alten dabey nicht verschwiegen würden / auch das würde nicht ohne Nutzen seyn.** Absit modo! & longissime absit! stili acerbitas & maledicendi libido.

c) De scriptis eruditorum ineditis aut affectis, conf ALMELOVENII Bibliothecam promissam & latentem Gaudæ 1696. & MEELFüHRERI additiones 1699. quibus proxime sua adjiciet M. IO IARCHIVS. Adde SPITZELII sacra bibliothecarum illustrium retecta 1668. PIPPINGII arcana Biblioth. Thomanæ Lips. sacra 1703. CYPRIANI catalogum MStorum Bibliothecæ Gothanæ, 1714. Catalogum MStorum Bibliothecæ VFFENACHIANÆ 1720. &c.

d) In colligendis eruditorum Genealogiis post b. GRVNDMANNVM (v. **Gelährte Zeitungen** 1718. pag. 295.) sedulus est

erunt alia singularia a) atque scitu dignissima, referam. Et ne operi quidquam decedat, ad Historiam Ecclesiæ Lutheranæ introductionem præmittam, annales vero cum indicibus necessariis subjungam, & ubicunque Conringii regulas observabo, ita, ut 1) nihil eorum, quæ ad susceptum argumentum pertinent, negligam, 2) non in alienis atque ad rem non pertinentibus sim occupatus, 3) ut singula ex principiis propriis tum vere ac probe deducta sint, 4) ut justo ordine omnia ad finem se consequantur, & denique 5) ut dictionem argumento convenientem adhibeam. b)

§. XVII. Hic est ille ordo atque ista methodus in epistola germanica mihi præscriptus, quem in paucis tantum, a viris præstantissimis admonitus, mutavi. Pollicitus enim eram laborem per partes in lucem edere, & singulis partibus historias ecclesiarum specialiores, quoad singulas urbes & regiones, ut & omnium pastorum catalogos anectere. Nec in his mentem mutassem, nisi tædiosa prolixitas & fautorum eruditione clarorum voluntas alias consiliorum meorum inire rationes jussisset. Theologorum itaque, scriptis & meritis in ecclesiam nostram illustrium vitas, solum *conscribere* aut *colligere* nunc promitto. Minime tamen illorum reprehendo conatus, qui viris non usque adeo celebribus, vel extra patriam plane obscuris, per vitarum descriptiones bonæ famæ odorem intra patriæ limites conservare, & extra illas propagare student. Nec per celebriores Theologos istos tantum intelligo, qui scriptis, seu offi-

est clar. STARCKIVS pastor Siebenbaümensis prope Lubecam, v. SEELEN Athen. Lubecens. P. 2. p 336

a) v. g. illorum epitaphia, symbola &c. Doctorum symbola congessit CRVSIVS in Symbolotheca docta 1721. 4.

b) Vide sub initio animadversionum in Machiavellum.

officiorum dignitatibus aut Academicorum titulis inclaruerunt, cum haud raro non tam virtutis, aut eruditionis eminentioris quam fortunæ sit argumentum, a) unde vulgare veriverbium: multi habent famam, & non merentur; multi merentur, & non habent. b) At vero, qui pro verbi divini doctri-

na

a) Recte affirmante *Fischlino* in præfat. ad Memorias Theol. Würtebergensium, quem hic sequor.

b) De his egregie cecinit *Marcellus Palingenius*, (qui juxta cl. *Iac. Facciolati*, detectionem vero nomine est *Pier Angelo Manzolli*, i e. per anagramma *Marcello Palingenio*) in Zodiaco vitæ p. m. 134. ita:

Propter se virtus petitur non propter honorem:
Ipsa licet proprie ac vere mereatur honorem.
Quid? quod vulgus iners nescit virtute moveri?
Hanc potius ridet faveat fortuna necesse est,
Divitiaque adsint: tunc laus, honor & decus omne
Adveniet. Virtus sine censu languet ubique.
Quanquam nil refert, si gallo sordet iaspis,
Nec minus idcirco est preciosa & nobilis: unde
Vir bonus, & veræ compos virtutis, abunde
Contentus, vulgi laudes contemnit & odit.
Nec fumum quærit, nec inani pascitur aura.
Insignis facies fucis non indiget. Aurum,
Quod per se pulchrum est, nudum monstratur, at ille
Qui non est, aliqua saltem cupit arte videri,
Personamque sibi inducit velut histrio, quare
Si recte aspicias vita hæc est fabula quædam.
Scena autem, mundus versatilis, histrio & actor,
Quilibet est hominum: mortales nam prope cuncti
Sunt personati, & falsa sub imagine, vulgi
Præstringunt oculos: ita diis risumque jocumque,
Stultitiis nugisque suis per secula præbent.
Ergo honor & fama, & mortalis gloria lausque

So-

na, pro puritate religionis, pro vera pietate, pro salute totius Ecclesiæ, vel saltim Patriæ susque deque habitis periculis omnibus, viros se præstiterunt, eos demum vere inclaruisse famamque seculis omnibus duraturam meruisse censendum est. Talium memoria sepeliri piaculum esse reor.

§. XVIII. Quæ paucis de methodo dixi illustrare potuissent fusius, nisi spatium nimis arctum prohiberet, & concinna sua explicatione otium mihi feciſſet Cl. *Lilienthal* in consultatione de Historia literaria certæ cujusdem gentis scribenda. a) Festinantem ergo calamum subditis calcaribus progredi jubeo, ut ea, quæ velocius quam asparagi coquantur, de fontibus ex quibus biographica hæc hauriri debent, congessi, adhuc effundam. *Primus* itaque fons, qui aperiendus venit, sunt scripta singula de Theologorum Lutheranorum vitis, jam ab aliis collecta & supra in medium prolata, atque in illo crater est, circa quem siphunculi plurs miscent jucundissimum murmur.

Somnia sunt, prorsus nil conducentia: quando
Sorte magis quam virtute acquiruntur: at esto
Quod tantum dignis tribuantur: dic mihi nunquid
Corporibus prosunt? certe nil, dic, animisne?
Tantundem: hos inflant potius, tumidosque leves que,
Nec non sollicitos reddunt, se subdere multis
Et servire solet multis, ambire, precari,
Munera largiri, quisquis sectatur honores.
Vita igitur talis misera est, & plena tumultus,
Subfacet invidiæ, & magnis quandoque periclis
Virtutem veram, qui possidet, ille quietus,
Ille satis felix: permittat cætera divis:
Sufficiens honor est homini, cum dignus honore est:
Qui datur indigno, non est honor: est onus, imo
Ludibrium, veluti in scena cum ludius est rex.

a) p. 102-144.

mur. Ad has opportunitates refero biographos, qui generatim universimque eruditorum vitas propinant, videlicet *Kœningium* in Bibliotheca vetere & nova, *Freherum* in Theatro clarorum virorum, *Quenstedium* in dialogo de patriis eruditorum, *Buddæum* in Thanatologia a) *Krügerum* in Catalogo mille virorum, b) *Wittenium* in diario biographico, *Hendreichium* in pandectis Brandenburgicis, *Teissierium* in elogiis eruditorum, c) *Clarmundum* (i. e. *Rudigerus*) in vitis clarissimorum in re literaria virorum, *Grundmannum* in ossibus & cineribus Eruditorum, *Leporinum* in vitis Eruditorum anno 1719. defunctorum, & Autores Lexici eruditorum primum sub auspicio Illustris *Menckenii*, postea cura Clariss. *Iöcheri* editi. d)

§. XIX. Ut & Elogiorum, Iudiciorum & Bibliothecarum scriptores, scilicet *Tobiæ Magiri* Eponymologicum criticum 1644 & anno 1687. duplo auctius ab illustri & generosissimo Domino *de Eyben*, editum. e) *Thom. Pope-Blount*, (Baronettus, Anglobrit-

a) Scriptum hoc olim numerabatur inter rariora, nunc extat recusum in HEINECCII & LEVCKFELDI Scriptor. Rerum Germ. Tom. 2. sed tanti pretii non est, ut a quibusdam æstimatur.

b) Leve quidem hoc scriptum est, hodie non ubivis obvium, in illis tamen, quæ autor habet, fide dignus & epitaphiorum atque inscriptionum sedulus collector editum lingua germanica, 1627. 4.

c) Quorum optima editio est, quæ 1715. Lugduni Batavorum tom. IV. in 8. prodiit.

d) Continuationem hujus Lexici sæpius promisi, ejusque partem primam ad Cl. IöCHERVM, ut typis exscriberetur, dedi, sed clarissimum virum supplementa hæc ad novam editionem reservare malle, quam sigillatim edere, ex literis ad me datis, intellexi.

e) De hoc libello ejusque autoribus confer. Venerabil. Abbatis FABRICII Histor. Biblioth. Fabricianæ P. V. p. 445. seq. ubi de

britannus) cenſura celebriorum auctorum, primo Londini 1690. & ultima vice Genevæ 1710. evulgata. *Morhofii* Polyhiſtor, ſummis & imis hiſtoriæ literariæ cultoribus cognitus. *Vogleri* introductio in notitiam Hiſtor. Liter. cum ſupplementis Meibomii 1700. Illuſtris *Struvii* patroni de vote ſuſpiciendi introductio ad notitiam Hiſtoriæ Literar. 1704. 1710. & 1716. Cl. *Coleri* analecta ad Struvium 1723. Summe Rever. *Reimmanni* Einleitung zur Hiſtoria literaria 1708-1713. *Caroli Arndii* Syſtema Literarium 1714. Doctiſſimi *Stollii*, fautoris obſervanter colendi Anleitung zur Hiſtorie der Gelahrtheit 1718. & novis ſupplementis 1724. a) Elegantiſſimi *Heumanni* conſpectus Hiſtor. Liter. 1718. & 1726. auctior. Nec non ſcripta in Ana, b) & Bibliothecarum Theologicarum autores. v. g. *Pauli Bolduani* Biblioth. Theolog. 1614. cum continuatione 1622. *Ioh. Kolmberger* ſtatua Mercurialis Theol. 1661. *Lipenii* Bibliotheca Theol. 1685. *Gisb. Voetii* Biblioth. ſtudioſi Theolog. 1685. *Gerh. Meieri* Biblioth. Theol. contracta 1692. *Ioh. Frid. Meyeri* Bibl. Biblica *a Carolo Arndio* locupleta 1711.

---

de Illuſtri EYBENIO inter alia & honorifice & vere prædicatur: *quod eo majoris æſtimandus ac celebrandus ſit, quo aptior & promtior ſit, ad ſuum cuique tribuendum, ad tuenda Heri jura, ad conſervanda & propaganda litterarum ac ſcientiarum ſtudia, ad fovendos & juvandos eruditos, atque ad exemplum aliis præbendum, præcipuum Decus Nobilium eſſe cultum virtutum, optimarumque artium ac diſciplinarum.*

a) A quo viro præſtantiſſimo Hiſtoriam *Medicinæ, Iurisprudentiæ & Theologiæ* cum intolorantia quadam & impatientia expectamus, & ut propediem promiſſum explere queat, optamus.

b) De ſcriptis in Ana conf. Sum. Rever. WOLFFII præfat. ad Caſauboniana & Clar. LILIENTHALII ſelecta literaria Tom. I. p. 141-178.

1711. & 1713. *Ephraim Prætorii* Biblioth. Homiletica Partes III. 1698-1711. *Crowæi* Elenchus scriptorum in sacram scripturam 1672. *Wildeshausen* Bibliotheca disputat. in loca Sacræ Script. 1702. & 1710. *le Long* Biblioth. sacra 1723. auctior recusa. *Dornii* Biblioth. Theologica Part. 2. 1721. & 1723. *Pfaffii* introductio in historiam Theol. Literar. 1720. & cum uberrimis additionibus 1724. seq. *Ioach. Langii* Institutiones liter. studii Theologici 1724. editæ, sed judice Clar. *Heumanno* satis perfunctorie elaboratæ. *Stengelii* apparatus librorum Theologicorum 1724. *Schwindelii* vollständige und reele Priester-Bibliothec 1721. *Wendeleri* prodromus Bibliothec. selectioris 1721. *Theologi Salani* (i.e. venerandus *Buddeus*) historia critica Theologiæ Dogmat. & Moral. 1724. cujus Isagoge Histor. Theologica ad Theologiam universam singulasque ejus quoque nuperrime lucem aspexit. a) Adde *Slüteri* Propylæum Historiæ Christianæ 1680. in 12. & auctius 1696. in 4. *Sagittarii* introductionem ad Historiam Ecclesiasticam 1694. & supplementa b. *Ioh. Andr. Schmidii* Ienæ 1718. in 4. edita, *Clarmundi* Fragen aus der Historia Ecclesiastica 1707. 8. Libellus utilissimus & nova editione, novisque supplementis dignus. Nec non b. *Bosii* introductionem in notitiam scriptorum ecclesiasticorum, cum *Buddei*, *Meuschenii* & *Crenii* observationibus cura *D. Walchii* 1723. recusam.

§. XX. Sequuntur illi, qui vitas eruditorum secundum *certas nationes*, *provincias* & *urbes* consignarunt, ex quibus tantum illos commemorabo, quos confestim memoria suggerit. Ita *Schefferus* Suecos, *Bartholinus*

a) De Scriptoribus Bibliothecarum Theologicarum confer. *Arndium* in præfatione ad Bibliothecam politico Heraldicam p. 4. seq.

tholinus Danos, a) *Ianichius* Luſatos in Luſatia literata, b) *D. Ge. Petr. Schultzius*, Marchicos, c) & Boruſſos, d) *Martinus Hanckius* Sileſiorum, e) *David. Czvittingerus*, Hungarorum in ſpecimine Hungariæ literatæ 1711. *Charitius* Gedanenſium 1715. *Fabricius* Hamburgenſium 1710. *Iacobus a Mellen* Lübecenſium in notitia Majorum 1707. & Lubeca literata 1698. ſeq. *Chriſt. Iac. Blume* in epiſtola de eruditis Lipſiæ natis 1709. *Menckenius* in oratione de viris eruditis, qui Lipſiam ſcriptis atque doctrina illuſtrem reddiderunt 1710. & *Imman. Weber* in Lipſia literata Lipſienſium, *Ludovici* Schleuſingenſium, *Bieck* Islebienſium in pecul. diſp. 1718. & *Bünnemannus* Weſtphalorum eruditos in variis programmatibus, recenſuerunt. Quibus adde *Wendeleri* Auguſtam literatam in 2 diſp. 1713. *Neumanni* Stolbergam literatam 1709. *Petr. Ambroſ. Lehmanni* Hamburgum literatum 1701. *Preusmanni* Rigam 1698. f) *Brehmii* Revaliam 1699.

a) SCHEFFERVM & BARTHOLINVM illuſtravit atque conjunctim edidit IOH. MOLLERVS ſub titulo Bibliotheca ſeptentrionis eruditi Lipſiæ 1699.

b) Conſtat IV. Diſputationibus, ſcriptor. rerum Luſaticarum, quæ ab Illuſtri HOFMANNO collectorum Tom. II. p 326. ſeq. inſertæ.

c) Cl. SCHVLTZIVS præter diſputationes 1706. de claris Marchicis editas, duas centurias clarorum Marchicorum ad prelum paratas habet, v. *Hiſtoriam Bibliothecæ Fabricianæ P. V. pag.* 141.

d) In Boruſſia literata ſub tit. des gelährten Preuſſens edita.

e) HANCKIVS ſcripſit de Sileſiis indigenis eruditis poſt literarum culturam cum Chriſtianismi ſtudiis Lipſ. 1707. 4. Recenſentur quoque eruditi Sileſiæ in HENELII Sileſiographia renovata cura FIBIGERI edita cap. VII. adde LVCÆ Schleſiſcher Denckwürdigkeiten Tom. II. &c.

f) Proſtat quoque ION. IOH. PHRAGMENII diſp. præſide b. GRAPIO habita de Riga Literata 1699.

1699. *Geerkens* Narvam 1703. *Seeleni* Stadam literatam 1710. *Eberhardi* Dorpatum literatum 1698. *Petri Fritschii* Lemgoviam doctam in variis programmatibus ab Anno 1686-1695. evulgatis. Jetztlebendes Breslau 1703. & similia. *Coburgeri* (i. e. *Wetzelii* gelehrtes und gelehrtes Coburg 1718. *Dieterici* diss. de Annaberga & claris viris inde oriundis 1709. *Kindervateri* Nordhusam illustrem 1715. *Gotteri* elogia, qui Altenburgum illustrarunt 1713. & 1726. *Georg. Christ. Ioannis* de eruditis, qui apud Bipontinos cum maxime per quinquaginta vel plures etiam annos officiis præfuere publicis 1714. *Eberti* Leorinum 1714. & ejusdem *Cervimontanum* eruditum 1726. *Götzii* tract. von hin und her zerstreueten Dresdnern 1712. *Schumacheri* conspectum Waldeccіæ literatæ 1710. & alia a) aut edita, aut in MStis latentia, aut promissa. Ex ineditis & promissis nominare adhuc liceat *Kalckhofii* Hassiam literatam, opus multorum annorum propediem prodituram, *Michael Leigh* Norvegiam literatam, b) *Molleri* Cimbriam literatam typis ni fallor exscriptam, sed nondum editam c) *Iul. Conr. Rudemann* Stendaliam literatam, d) *Krebsii* Franconiam literatam in MSto relictam e) Halberstadium literatum a Celeb. *Reimmanno* promissum. f) Pomeraniam quoque doctam collegit *D. Gottselig Iacob Colbergius*

a) Conf. Illustris STRUVII introductionem ad Notit. rei literar. cap. 6. §. 10. seq.

b) Videatur THURA loc. cit. p. 95.

c) Cimbriam hanc literatam ante obitum. MOLLERI in fol. typis exscriptam fuisse, in novellis Hamburgensibus ante aliquot annos legi, quid autem verum, quid in his falsum sit? nescio.

d) STEINHART præf. ad Kelpii Historische Anmerckung über den Gagelschen Ablaß-Brief. p. 21.

e) v. Relat. Innoc. 1721. p. 1103.

f) Cujus ipse meminit im Versuch zur Einleitunge zur Historia Literaria Lib. I. Sect. III. p. 407.

bergius, a) quam etiam promiserat, b. *Benjamin Pozerne*, b) de Suecia autem literata spem nobis facit Cl. *Stirnmannus*, c) de Prussia literata, d) Cl. *Lilienthal*, de claris Noribergensibus *D. Reusch* Prof. hodie Helmstadiensis perquam celebris, e) & de doctis Anspacensibus *M. Ioh. Georg Geret.* f)

§. XXI. Etiam ex scriptoribus Historiæ speciatim Reformationis & singularum Evangelii Ecclesiarum fontem constituunt *Sleidani* de statu religionis commentarii *Hamelmanni* Histor. Eccles. renati Evangel. per infer. Saxoniam & Westphaliam in Operibus, *Seckendorffii* Historia Lutheranismi, *Sculteti* Annales, *Læscheri* Acta & Documenta reformationis, *Tenzelii* Bericht von der Reformation Lutheri, *Spalatini* Annales Reformationis, & *Myconii* Historia Reformationis cura Cypriani 1718. edita. *Cypriani* Hilaria Evangelica 1719. *Pregizeri* Svevia & Wirtembergia sacra 1717. cum qua conjungenda *Pfaffii* Acta & Scripta publica ecclesiæ Wirtembergicæ 1720. *Leuckfeldi* Antiquitates Gandersheimenses 1709 g) *Ketneri* Historia Reformat. Quedlinburgensis 1710.

a) v. MEELFüHRERI accessiones ad Almelovenium p. 18.

b) in autoschediasmate epistolico, quo scribendæ Pomeraniæ literatæ institutum aperit 1693. 4.

c) v. Acta liter. Sveciæ 1720 p. m. 15. & an. 1721. p. 240.

d) Vide consultationem de historia liter. certæ cujusdam gentis scribenda p. 144. sed de hujus labore vix amplius quid sperandum, cum provinciam hanc a Cl. SCHULTZIO jam occupatam esse constat.

e) Teste COBURGERO (i. e. Wetzelius) im jetztlebenden Coburg p. 100.

f) Qui de hoc instituto in allocutione epistolica nuperrime ipse disseruit.

g) In reliquis quoque Antiquitatibus scil. Pœldensibus, Blanckenburg. Ilefeldensibus, Michaelsteininsibus &c. quædam habet, quæ ad Theol. nostrorum vitas faciunt, sed rarenter & parce.

Hartnochii Preussische Kirchen-Historie 1686. *Ierem. Webers* Lipsia Evangelica 1639. & 1698. *Christoph.* Einmerlings Herrligkeit des Annabergischen Tempels 1713. *Christoph. Henr. Loeber* Historia Orlamundana 1702. *D. Christian Loeber* Historie von Ronneburg 1722. *Rethmeieri* Historia ecclesiastica Brunsvicensis Part. V. 1707-1720. *Bertrami* Lüneburgische Kirchen- und Reformations-Historie 1719. *Emmerlingius* de Statu ecclesiæ Mansfeldensi cum præfatione *Feustkingii* 1710. *Eilmars* Mühlhausische Kirchen-Historio 1715. Stäckers Entwurff der Reformations-Historie der Stadt Aschersleben 1717. *Weinrichii* Hennebergischen Kirchen- und Schul-Staat 1720. *Zeitfuchsii* Stolbergische Kirchen- und Stadt-Historie 1717. *Trumphii* Goßlarische Kirchen-Historie 1704. *Balthasari* Sammlunge zur Pommerschen Kirchen-Historie superius citata. *Dietzels* Eisfeldische Stadt-Historie 1721. *Krafftii* Husumische Kirchen-Historie 1723. *Lehnemann* Historische Nachricht der Lutherischen Kirche zu Antorff 1725. *Ritteri* Evangelisches Denckmahl der Stadt Franckfurt 1726. *Schwertneri* funfftzig-jähriges Gedächtniß der Kirche zum Heiligen Geist in Jauer 1706. *Irenici Ehrenkron* (id est, Zschakevizius) Schlesische Kirchen-Historie 1709. &c. a) Ex promissis & ineditis non pauca ad vitas Theologorum Lutheranorum dabunt. *D. Cypriani* ausführliche Kirchen-Historie von Anfang der Reformation bis auf unsere Zeit/ b) *Iusti Gotthardi Rabneri* continuatio Historiæ Lutheranismi a Seckendorffio cœptæ, c) *Christ. August. Salig* continuatio Seckendorffianæ

a) De scriptoribus Historiæ ecclesiast. special. confer. SAGITTARIUM in introductione cap. 21. & b. SCHMIDII supplementa p. 481. seq.

b) Vide Theatrum libror. Part. XLII. p. 458.

c) Vide Gelährte Zeitungen 1726. p. 440.

dorffianæ Historiæ, a) *Bertrami* Evangelisches Hannover, Minden & Hildesheim, b) *D. Gudenii* historia ecclesiastica Göttingensis, c) *Alardi* Historia ecclesiastica Reinbeccensis, d) *Borgmeieri* Pastoris apud Hervordienses meritissimi, amici svavissimi, Historia Eccles. Hervordiensis, e) b. *Ioh. Bertholdi Haccii* Historia eccles. Lemgoviensis. f) &c.

§. XXII. Illi quoque scriptores, qui simul res civiles pertractarunt, sæpissime Theologorum Lutheranorum vitas optime descriptas exhibent, Cumprimis g) autem ad argumentum hoc faciunt *Chytræi* Saxonia, *Hamelmanni* opera Historico-Genealogica, *Thuani* Historiarum sui temporis libri 138. ab Anno 1545. ad annum 1607. *Ioh. Ludwig Gottfried* Historische Chronica, Theatrum Europæum, *Ludolphi* Schau-Bühne der Welt/ *Ziegleri* täglicher Schau-Platz/ item Labyrinth der Zeit. *Ioh. Christoph Beckmann* Historia Anhaltina, *Vogelii* Leipziger Annales 1724. *Tob. Schmidt* Chronica Cygnea 1656. *Meltzeri* Historia Schneebergensis renovata 1716. *Sagittarii* memorabilia historiæ Gothanæ 1689. cum *Tentzelii*

a) loc. cit. p. 106.

b) Ad prelum parata, ut ipse autor in præf. ad histor. Lüneburgensem testatur.

c) Quemadmodum ex epistola Dn. SEIPII, Pastoris Hamelensis intellexi. conf. b. SCHMIDII tom. 2. introduct. Sagittar. ad H. E. p 324.

d) Ita ipse ad me perscripsit.

e) vid. Rel. Innoc. 1726. p. 373.

f) Teste BORGMEIERO in epistola gratularoria ad IOH. ANTON. HACCIUM Pastorem Lemgoviensem 1726. typis exscripta.

g) De Historicis præ reliquis confer. STRUVII Bibliothecam historicam & LANGLET DU FRESNOY catalogum historicum ab illustri MENCKENIO auctum, & 1718. germanice editum.

supplementis 1700. 1701. 1702. & 1716. *Schlœpken* Beschreibunge der Stadt und Stifts Bardewick 1704. *Heineccii* Antiquitates Goslarienses 1707. *Sinapii* Oelsnographia 1707. *Friderici Thomæ* Analecta Güstrovienſia 1706. *Reimmanni* idea historiæ Ascanienſis 1708. *Calvœr* altes Heydnisches und Christliches Nieder-Sachsen 1714. *Heckelii* Beschreibunge vom Bischoffs-Werda 1713. *Ioh. Sam. Magnus* Historische Beschreibunge von Sorau 1710. Grosser Lausnitzische Historie 1714. Schötgenii Historie der Stadt Wurtzen 1717. *Martin. Dietrich* Nachricht von den Grafen zu Lindau und Ruppin 1725. &c. Etiam Cl. *Cnauthius* in historia Misniæ, eruditorum Misnicorum memoriam renovabit, a)

§. XXIII. Nec non ii a quibus vitæ Doctorum virorum sibi Homonymorum collecti. Inter quos primatum tenet *Johannes Mollerus*, qui edidit schediasma de scriptoribus Homonymis quadripartitum cum Semicenturia sibi cognominum 1697. *Molleri* semitam calcarunt quamplurimi, sed non omnes pari gloria & eruditione. Sic prostat *Gœzii* oratio de claris Schmidiis 1699. *Fabricii* centuria de Fabriciis scriptis claris 1708. *Joachim Meier* de claris Meieris 1700. Böhmeris 1710. *item* de claris Fischeris 1695. *Isserstadius & Bœckmannus.* de Doctis Nicolais. 1708 & 1712. *Manzelius* de Georgiis fama & eruditione claris 1712. *Martini* de Coleris 1718. *Hochmuth* nomina & cognomina 142. Ægidiorum clarorum in schediasmate de ritu ονομαθεσιας 1725. *Alardi* decas claror. Alardorum 1721. *Anton Balth. Walther* centuria celebrior. Waltherorum 1726. & inedita, *Fabricii* centuria altera clarorum Fabri-

a) vid. KNAUTHIVM ipsum in der Einleitunge zu der Beschreibunge des Marggrafthums Meissen p. 603.

Fabriciorum, a) *Pippingii* collectanea de claris Henricis b) *Tob. Henric. Schubarti* Pastoris Neokirchensis schediasma de claris Schubartis, c) multaque alia edita & inedita huc referri possent.

§. XXIV. Imo etiam illi, qui singularia ex eruditorum vitis conscripserunt, huc faciunt. Compendium ex illis dedit & novis observationibus illustravit Cl. *Bernhard* Rector scholæ Hanovienſis, in historia eruditor. curiosa 1718. edita. Ego ex ingenti multitudine tantum nominabo *Placcium Heumannum*, *Dahlmannum* & *Starkium* de anonymis Pseudonymis; *Gœtzium*, *Wolfium*, *Kortholdum*, *Sculteţum*, *Seelen* & *Klefekerum* de præcocibus; *Thomasium*, *Crenium* & *Schvvartzium* de plagiariis; *Irenæum Carpenterium* (i.e. Wagnerus) de cœlibibus; *Zeltnerum* de correctoribus eruditis. Ut & *Parravicini* singularia de viris eruditione claris 1713. *Starckii* tr. de Doctorum vita privata 1708. *Neumanni* epistolam de eruditis qui patriam suam nonnunquam obscuram nobilitarunt 1707 *Gœtzii* Diptycham exulum Lutheranorum 1714 M. *Carl Christian Schröteri* Exulanten Historie. 1715. d)

§. XXV. Haud parum quoque contribuent ephemeridum literariarum scriptores, quarum legitime adhibitarum maximum esse usum agnosco. e)

a) Quam ad prelum paratam habere Celeb. FABRICIUM, per literas certiorem me fecit Cl. ALARDI.

b) vid. PIPPINGI epistolam ad GÖTZIUM Superintendentem Lübecensem 1709. datam p. 22.

c) De quo instituto in literis nuper ad me datis, ipse certiorem me reddidit SCHUBARTUS.

d) Scriptores, quia varia eruditorum fata & singularia annotarunt larga quoque adducit manu *Ioh. Gothofr. Büchnerus* in schediasm. de vitiorum inter eruditos occurrentium scriptoribus cap. I §. 1-6.

e) De ephemeridibus eruditorum conf. CHRISTIANI JUNCKERI

Etiam ex dedicationibus & præfationibus scriptis præmissis de autorum vitis nonnihil colligere licet, cum plerumque contineant, quæ vitas scriptorum, occasiones & fata operum scitu jucunda & necessaria spectant, & nonnullam scriptorum epitomen ac veluti œconomiam exhibeant. Itinerum scriptores, a) Epitaphiorum collectores, b) orationes panegyricæ & funebres, programmata in funera vel promotiones illustrium ecclesiæ Doctorum publicata: c) & si quo alio titulo aliquid de illis exaratum extat, veluti illorum Icones, d) Bibliothecarum catalogi cum cura con-

CKERI schediasma historicum Lipsiæ 1692. 12. STRUVII introductionem in notitiam rei literariæ cap. VI. & M.P.H. (i.e. Marcus Paulus Huholdus) curieuse Nachricht von denen Journal-Quartal- und Annual-Schriften, &c. 1716. seq.

a) Præstantiora itineraria laudavit STRUVIUS in Biblioth. Historica p. 785. & GOETSCHLINGIUS in pecul. disputat. Maxime huc aliquando (nisi me titulus fallit) faciet ZENNERI gelährtes Reise-Journal nuper promissum.

b) Epitaphiorum scriptores & collectores venerabilis Abbas IUSTUS CHRISTOPH BÖHMERUS recenset in prefat. ad inscriptiones sepulcrales Helmstadienses 1710. 8.

c) Fateor equidem me quondam isto laborasse præjudicio, nihil esse in his rebus lectu dignum, sed experientia aliter edoctus, ulterius fateri cogor, me varia in illis deprehendisse singularia, alibi frustra quæsita. Ex concionibus funebribus præcipue conferri possunt Conciones *Carpzoviorum, Geieri, Clotzii, Mülleri, Pancratii, Sacci, Selnecceri, Welleri, Ittigii, Lehmanni, Feustkingii de Waldeck &c.* in volumina redactæ. Qui vero notitiam illarum cupit, quæ figillatim extant, adeat necesse est *Bibliothecam Necromnemonicam*, quæ Stolbergæ collecta & jussu Illustriss. Comitissæ SOPHIÆ ELEONORÆ, Comitissa in Stolberg, Königstein, Rocheford, Wernigeroda & Hohenstein 1716. & auctior 1718. in fol. edita.

d) De usu imaginum circa vitas eruditorum conf. Cl. LILIENTHAL consult. p 110. seq. VOGLERI introductionem in notit. bon. scriptor. p 2. nec inutilis est labor ROTHSCHOLTZII qui indicem & recensionem Imaginum clarorum virorum, sive in colle-

confecti & præcipue Eruditor. epiſtolæ, nec non ſcripta Theologorum eriſtica a) ſuppeditare poſſunt jucunda, utilia & ſcitu digna. De ſingulis ne quidem Paucis dici nequit, de epiſtolis eruditorum tantum breviter, cum ex ejusmodi literis ſcribentis affectum & ſtudia diſcamus accuratius, quod magnum utique habet momentum in omni Hiſtoria. b) Antequam vero ad recenſionem eorum ſcriptorum me convertam, qui vel theologicam vel literariam rem epiſtolis ſuis illuſtrarunt, paucis indicandum eſt, quam plurimas clarorum virorum epiſtolas, hinc illinc latitare, publicæ luci nondum expoſitas. Aliæ earum aſſervantur in Principum Archivis, aliæ in eruditorum ſcriniis, aliæ apud imperitos ſæpius heredes tanquam Sibyllæ folia circumvolitant. Plurimæ tales in *Conringiana* Blbliotheca ſuperfuerunt, quæ poſtea ad *Caſp. Kœberum* Eloquentiæ quondam apud Helmſtadienſes Profeſſorem pervenerunt c) Nec paucas hujus generis epiſtolas ineditas fuiſſe & eſſe in *Spitzelii illuſt. Dn. de Krafft* d) *Dn. de Ufenbach* e) *Io. Andr. Gleichii* f) *Bierlingii*

collectionibus, ſive ſeorſim proſtant, dare cœpit, de quo labore tres partes 1725. & 1726. editas vidi.

a) Ex ſcriptis eriſticis enim præcipue autorum affectus dignoſcuntur. Tanta autem illorum eſt multitudo, ut in controverſiis pietiſticis ſolum 200. Volumina in Bibliotheca Senatoria Cygneæ conſpici poſſint, teſte JUNCKERO in Hiſtoria eccleſ.

b) De epiſtolis eruditorum conf. RECHENBERGII, diſp. pecul. Lipſiæ habita, & D. BUDDEI præfat. ad epiſtolas Lutheri.

c) vid RITMEIERI præfat. ad Conringiana epiſtolica 1719. recuſa.

d) In Bibliotheca Krafftiana 6000. MSta, & inter ea varia eruditorum literæ conſpiciuntur, conf. Clariſſ. SCHELHORNII Amœnitat. liter. tom. III. & IV.

e) De MStis Ufenbachianis extat Catalogus ſub Bibliothecæ Ufenbachianæ titulo 1720. fol.

f) Apparatum Epiſtolarum D. Gleichii prædicat *Tentzelius* in Biblioth. curioſa 1704. p. 178. ſeq.

lingii a) *Liebknechti* b) *Bünemanni* c) aliorumque eruditorum scriniis, constat. Ita olim conservabat in sua Bibliotheca CXXIV. Epistolas ineditas Melanchtonis b. *Spizelius*, d) Epistolas Hülsemannianas b. *Chladenius*, e) Epistolas Lyserorum b. *Polycarp. Lyserus* Superint. General. Cellensis nuper defunctus, f) epistolas autem Lucæ Loffii evulgare promisit Cl. *Lackmannus* g) Balthas. Meisneri, celeber. Giessensium Philologus *Joh. Henr. Majus*, h) Commercium literar. Brochmannianum magnus Danorum Theologus *Lintrupius* i) Epistolas Balthas. Mentzeri senioris, ejus abnepos *Balthas. Mentzerus* Theologus Hannoveranus dignissimus k) quemadmodum Ioh. Gerhardi epistolas ad prælum paratas habebat ejus nepos *Joh.*

a) Qui aliquot volumina MSta ad Historiam Ecclesiasticam Seculi XVI. spectantia in Bibliotheca sua conservat, quæ mecum benevole communicare promisit.

b) Vir iste curiosus, doctus, humanus & pius inter innumera inedita, possidet 400. epistolas autographas Melancht. Camerarii & aliorum, quemadmodum ipse pro humanitate sua mihi nuper significavit.

c) Possidet quinque tomos epistolarum Lutheri, Melanchtonis &c. vid. *de Biblioth. Mindensibus.*

d) teste MEELFüHRERO loc cit p. 64.

e) vid. *Rel Innoc.* 1721. p. 312.

f) In Biblioth. LYSERI fuisse epistolas 7000. MStas ad POLYCARP. LYSERUM seniorem sive primum, vel ab eo ad alios scriptas ipse testatur LYSERUS junior in sylloge epistol. 1706. edit.

g) vid. LACKMANNI Miscellanea literaria p. 83 seq.

h) De epistolarum Meisneri editione peculiarem evulgavit epistolam Celeb. MAIUS 1712. 4.

i) vide den neuen Vorraht auserlesener Bücher P. I. p. 200.

k) Nisi alia negotia hunc virum sibi vindicarent jam dudum vitam & epistolas proavi sui in manus eruditorum dedisset, nunc autem in eo totus est, ut quam primum licuerit lucem videant, quemadmodum ipse per literas me reddidit certiorem.

Joh. Ern. Gerhardus Theologus Gieſſenſis, cujus morte, ſpem hanc interreptam eſſe literariæ rei cauſa dolendum eſt a) Theſaurum denique epiſtolarum clarorum Theologorum & Philologorum, quas *Daumius* collegerat nunc aſſervari in Bibliotheca Senatus Zwickavienſis refert *Tentzelius*.b) & *Joh. David Wildermuth* mercatorem Hamburgenſem eſſe poſſeſſorem epiſtolarum ad Hoe ab Hœnegg ſcriptarum docet *Lackmannus* c) Sed de his pro inſtituti ratione ſatis, ac fortaſſe plus ſatis. Inter ſcriptores itaque epiſtolarum hujus generis publice editarum primum merito occupant locum epiſtolæ Lutheri laudabili inſtituto *Joh. Aurifabri; Cœleſtini* & Celeber. *Buddei* cura editæ d) Proſtant præterea Centuria epiſtolarum Theologicarum ad *Johannem Schwebelium* 1595. *Melanchtonis* epiſtolarum liber 1647. e) *Schluſſelburgii* epiſtolæ Theologor. Claris. 1624. Epiſtolæ Theol. ad *Johannem, Eraſmum & Philippum Marbachios*, olim ſcriptæ, ſupplementum hiſtoriæ Eccleſiaſticæ conſtituentes, cura b. *Joh. Fechtii* 1684. *Chriſtiani Daumii* epiſtolæ ſelectæ a *D. Gleichio* editæ 1697. *Joh. Gotfr. Olearii* Scrinium antiquarium, ſeu ſummorum virorum epiſtolæ 1698. Sacra ſuperioris ævi Analecta, ſive variorum epiſtolæ ad *Wenceſl. Lincum*, editæ a Cl. *Verpoortenio* 1708. *Polycarpi Lyſeri* ſenioris ſylloge epiſtolar. 1706. Clariſſ. virorum epiſtolæ CXVII. e Bi-

a) De hoc epiſtolarum Gerhardi edendarum inſtituto, vid. FISCHERVS in vita Ioh. Gerhardi p. 496. ſeq.

b) In Biblioth. Curioſa 1704. p. 179.

c) in miſcellaneis literar. p. 60. ſeq

d) De pleniore & accuratiori epiſtolarum Lutheri editione ſpem fecerat, b. *Io, A Schmidius* Abbas Mariævallenſis (vid. *Coburg. Zeitungs-Extract* 1716. *p.* 147.) ſed eheu cum optimus Theologus nuper defunctus, ſpem fruſtraneam fuiſſe, video.

e) Epiſtol. Melanch. 6000. editas & ineditas Bibliotheca Gothana conſervat.

Bibliothecæ Gothanæ autographis, cum præfat. *Ern. Sal. Cypriani* 1714 *Martini Chemnitii* epistolæ ad *Matth. Ritterum* edita a *Georg Christ. Joannis* 1712. *Joh. Jac. Grynæi* epistolæ familiares LXVI editæ a M. *Sigism. Jacobo Apino* 1715. Epistolæ famil. Theol. potissimum argumenti collectæ cura b. J. *Herm. ab Elsvvich.* 1718. Specimen epistolarum Selnecceri ad Martinum Chemnitium edente *D. Gœtzio* 1726. Nec facile memini plenioris bonæ frugis epistolas esse, quam sunt *Georg. Richteri* epistolæ selectiores Norib. 1662., multa hic habentur, quæ ad historiam literar. novissimi temporis pertinent. Laudanda etiam est industria *Thomæ Crenii*, qui in X tomis animadversionum philologicarum varias eruditorum epistolas veluti servatas e naufragio tabulas dedit. *Immannel Weber* decades tres epistolarum promulsidis loco apparatui epistolarum theologicarum præmisit Francof. ad Mœnum 1702. & spem fecit se editurum haud exiguum numerum epistolarum hactenus ineditarum a præstantissimis reformatæ ecclesiæ Theologis scriptarum, a) sed cum nuper defunctus, spem frustraneam fore intelligo. Deniqne Cel. *Benthemius* Superint. General. dum viveret Harburgensis præclare doctus, Historiam epistolarem celebrium virorum meditabatur, quam in rem jam ultra 30000. epistolarum tum editarum, tum in scriniis eruditorum hucusque latentium, perlegerat, seduloque, quæ ad institutum facere videbantur, excerpserat; b) optandum itaque esset, ut collectanea Benthemiana non interirent sed a possessore, quisquis etiam ille sit, ita ederentur, ut ea quæ ad rem literariam faciunt, ex reliquis epistolis a Ben-

a) Vide catalogum scriptorum a WEBERO editorum p. 9. & p. 11.

b.) Vide Acta eruditor. Lipsi. lat. 1716. p. 288.

a Benthemio nondum excerptis seligeret atque in uno volumine sic methodice digesta evulgaret.

§. XXVI. Tandem, cum in iis, quæ typis evulgantur, scriptorum affectus, amor, odium, metus & similia efficiant, ut vel addantur, vel subtrahantur, quæ ad accuratam cognitionem pertinent, necesse est etiam inedita illorum consulere, nam in illis de suis & aliorum rebus scribere quis solet confidentius, & ex ejusmodi ineditis multa discere possumus, quorum nulla in publicis monumentis supereſt memoria. Præter epistolas ineditas, de quibus antea dixi, huc refero eruditorum libros, manu illorum notatos, collegia literaria & Historiæ Ecclesiasticæ, v. g. *Schurtzfleischii*, a) *Niemanni*, b) *Schubarti* c) *Fechtii* d) *Schmiedii*, *Buddei*, *Wernsdorffii*, *Kœnigesmanni*, *Wendeleri* atque aliorum, porro eruditorum Calendaria, e) Philothecas, f) & collectanea literaria, g) v. g. *Wi-*

grandi

a) Præcipue, illa, quæ in Historiam Ecclesiasticam N. T. in Biblioth. Heinsianæ catalogum & de notitia librorum proposuit.

b) Ni fallor NIEMAMNI vitæ Theologorum Sec. XVI. a D. Rollio in tr. de Nobil. Theologis p. 233. citatæ ad collegia MSta pertinent.

c) SCHUBARTI collegium de Not libror. 1698. habitum, typis dignum æstimat Dn. BERNHARD in hist. literar. curiosa p. 341.

d) FECHTII collegium ad compendium historiæ eccles. Rechenbergii laudat ARNDIUS in system. literat. p. 68. & ROLLIUS loc. cit. passim.

e) De Calendariis sive eruditorum annotatis ad Calendaria haberem singularia, attamen cum rationes meæ concisam jam brevitatem poscant; illa recensere jam commode nequeo.

f) Ad collectanea literaria, ex centum aliis, quorum notitiam ex eruditorum ad me datis epistolis, habeo, huc refero MStum in fol. quod *Ioh. Zach. Gleichmannus* al. *Helmondus* in Historia scriptor. Reformat. continuat. 2. spicilegii p. 11-32. recenset, qui vir, qui meliore fortuna dignus, alia se possidere MSta, quæ ad Histor. Reformat. faciunt, in literis affirmavit.

g) De philothecis, vulgo Stamm-Büchern, elegans obser-

vatio

gandi, a) *Grundmanni*, b) *Ungeri* c) *Anonymi* in Bibliotheca Hannoverana d) & similia.

§. XXVII. Ex istis itaque fontibus & laticibus hauriendæ erunt aquæ, ubi autem fontes isti occlusi sunt, aut aquas non habent, necesse est ostiatim guttulas emendicare & undecunque illa sollicite conquirere, quæ sitim extinguant, aut saltem lenire quodammodo possunt. e) Atque hoc fieri debet præsens in itineribus aut per literas cum absentibus. Si quis præsens est, multa haberi possunt ex viris eruditis istius loci, ex archivis urbanis & ecclesiasticis ex beati posteris, non semper in splendidis palatiis, sed frequenter

vatio extat in Dn. *Lilienthalii* continuatione selectorum Historico Literar. p. 1-84.

a) De WIGANDI collectaneis *Lilienthal* loc. citat. tom. 1. p. 386. ita scribit: *admanus nobis est αὐτόγραφον D. Ioh. Wigandi, quo de claris viris Theologicis, qui in ecclesia evangelica circa Reformationis tempora vixerunt, accurate commentatus est. Occurrunt hic multa Theologorum vita hactenus inedita, & in iis, quæ edita sunt, multa de eruditis singularia, ab Adamo, & aliis Biographis non animadversa. Excerpemus forsan ista aliquando, & sub Wigandianorum titulo publicæ luci donabimus.*

b) De GRUNDMANNI Collectaneis, vide Miscell. Lipsiensia tom. XII. p. 219. seq.

c) HUNGERUM in MSto reliquisse memorabilia de viris eruditis ex Historia literar. recentiori collecta 5 Vol. in fol. testantur autores *Rel. Innoc. 1722. p.* 308.

d) Inter MSta Bibliothecæ S. Crucis asservantur catalogi alphabetici virorum scriptis celebrium tom III. in 4. teste HAUSMANNO in notitia de Bibliothecis Hannoveranis publicis p. 24.

e) Talis erat, qui ante aliquot annos in Wetteravia atque alibi singula perertans tenuato admodum viatico, & paupertati, & curiositati suæ fomenta conquirebat, cum ubivis Theologorum vitas colligeret, ex cujus marsupio, catalogis Theol Lutheranor. repleto, seriem Antistitum, Macro Svalbacensium benevole mecum communicavit *Ieremias Pilgrimus* pastor Wildungæ in Waldeccia.

quenter in pauperum tabernis habitantibus. a) Cum abſentibus vero conſervari multum intereſt per epiſtolas quod converſationis genus commercium literarium dici ſvevit, & magnæ eſt jucunditatis majorisque utilitatis, ita ut literator ſumtuum, quos impendere debet, facile oblivisſcatur.

§. XXVIII. At inquit is, qui voluptati deditus: Si tanti eſt laboris Theologorum Lutheranorum res geſtas colligere, quis tanta induſtria tantumque evigilabit in hoc ſtudio, ut ea ratione ad finem perducat ſingula? Cujus autem erit utilitatis? Clamitat avarus, cum ex infinitis ſumtibus immanibusque jacturis vix aliquid emolumenti ad te emergat? Cur tu his rebus impenſas ſuggeris? Inhonorata denique virtus eſt, huic labori tanta diligentia incumbere, pronuntiat is, qui turgida ſapientiæ perſvaſione, plus juſto inflato incedit animo, & tenues meos conatus aut alto ſupercilio ſpernit, aut plane rejicit, aut dente theonino rodit. Sed ſalva adhuc res eſt: labor iſte omnino utilis & chriſtiano homine dignus, a Paulo Apoſtolo, vel qotius ipſo Spiritu Sancto his verbis b) commendatus: *μνεμονεύετε τῶν ἡγουμένων ὑμῶν, ὅιτινες ἐλάλησαν ὑμῖν τὸν λόγον τȣ̃ θεȣ̃· ὧν ἀναθεωρȣ̃ντες τὴν ἔκβασιν τῆς ἀναστροφῆς, μιμεῖσθε τὴν πίστιν.* In quibus verbis Apoſtolus aliis inculcare voluit, quod ipſe antea in capite undecimo præſtiterat, commemorationem nempe & recordationem ſanctorum in fide defunctorum virorum, præcipue illorum, qui in eccleſiaſtica vinea ſudantes multos palmites viti Chriſto inſerere docendo, corripiendo, conſolando, quod potuerunt

anniſi

a) Ita ex. gr. refert de poſteris Letzneri, b. CALVÖER im Heydniſchen und Chriſtlichen Nieder-Sachſen p. 571. Seine Nachkommen leben daherum im ehrlichen Bauer- und Handwercks-Stande.

b) Ebr. XIII. 7.

annisi sunt. a) Istam autem recordationem nulla ratione melius fieri posse, quam vitarum recensione firmiter credo.

§. XXIX. Præterea quadruplicem hunc laborem habere usum, Theologicum, Politicum, Academicum & Oeconomicum, cum Cl. *Fischlino*, quem hic iterum quoad potiora capita sequor b) monstrabo. Scilicet *Theologiæ cultor* hic observabit reformationis qualitatem, & cœlestis vim veritatis, cui oppressi antea densa idolomaniæ pontificiæ caligine multorum animi posthabitis omnibus periculis manus dedere. Observabit providentiam Dei specialem circa ministrorum Evangelii nativitatem, facta studia, conjugia, familiam & obitum. Observabit industriam, fidem & Zelum plurimorum in plantanda, propaganda & defendenda puriore doctrina. Neque minus pietatis, charitatis, mansvetudinis, patientiæ, temperantiæ, sobrietatis & gratitudinis specimina in vita. *Politicus* animadvertet. Nunquam felicius florere rempublicam, quam dum cura religionis cæteris anteponitur. Animadvertet nunquam diutina nimis lenitate in viam revocatos fuisse sectarios, verum ipsa indulgentia & patientia redditos subinde pervicaciores. Adeoque in tempore mediis utendum necessariis, ne

- - - grex totus in agris,
Unius scabie cadat & porrigine porci.

Academicus hinc discet; literarum incrementa & decrementa. Quænam apud nos diversis temporibus studia floruerint? quibus Doctoribus Ecclesia famam lon-

a) Confer. commentatores ad hunc locum, seu quod instar commentarii est ipsum contextum.

b) vid. Supplementa ad Memorias Theologor. Würtebergensium p. 240. seq.

longiſſime ſparſerit & ex Europæ Aſiæque partibus ſtudioſos virosque non incelebres a) vi quaſi magnetica attraxerit? Cui denique ad manus eſt b. Maieri Muſeum Miniſtri Eccleſiæ, juxta illius capita & alveolos Theologorum Lutheranorum ſcripta olim ex hiſtoria noſtra digerere poterit, & habebit indicem Biblioth. Theologicæ locupletiſſimum, in quo nihil, quod ad Theticæ, Didacticæ, Exegeticæ, Polemicæ, Homileticæ, Catecheticæ, Moralis, Linguarum & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſtudium requiritur, facile queat deſiderari. Spem quoque in Deo collocare diſcet, qui quamplurimos noſtratium Theologorum e plebejo ſanguine natos ad ſumma rerum faſtigia evexit, Eccleſiæ columnas effecit & primæ magnitudinis ſtellas in mundi theatro fulgentes conſtituit. *Oeconomiæ* tandem rationes excutienti jucundum fuerit Majorum æras a temporum pulvere vindicatas, eorumque vultus quaſi e mortuis reſuſcitatos intueri, quorum merita, ubi opus eſt, allegare poſſe & veſtigiis inſiſtere decorum ſit. b)

XXX. Hæc ſi quis æquo expenderit animo, neminem fore confido, qui hanc meam operam vane collocatam eſſe judicet. Fateor equidem eſſe homines, qui ſtudium hoc literarium magis, quam par eſt extollunt, & ex παρεργω præcipuum εργον faciunt, exiſtimantes ſe præ reliquis ſapere, quando confuſam aliquam nonnullorum autorum notitiam ſibi compararunt, ſed his neutiquam aſſentire velim, illos tamen, qui inutile, noxium & nullum hoc eſſe cla-

a) v. gr. *Joſua Adjutus* natus Mauſilii, quod vetus oppidum Ninivæ in Aſia putatur.

b) Hæc pluribus, niſi me omnia fallunt deduxit Clariſſ. MüNDENUS in diſſert. epiſtolica de juſta juſtorum memoriam poſt fata conſervandi ratione 1720, edita, ſed nondum a me viſa, licet ubicunque quæſita.

clamitant; & me ob aliqualem erga hoc studiorum genus amorem spernunt, contemnunt, rejiciunt, a) admodum ineptire existimo. Historiam enim mundi absque historia literaria, similem esse statuæ Polyphemi eruto oculo, cum ea pars imaginis desit, quæ ingenium & indolem personæ maxime referat, recte censuit doctissimus *Baco Verulamius*. b) Et historiam literariam acrius a literatis excolendam esse, quam historiam civilem, imo literatis turpitudini esse istam adeoque domesticam historiam ignorare, in eaque errores committerre, consentiente Summe Rever. *Moshemio*, c) præclare docet doctissimus *Heumannus*. d) Quid autem de proprio quodam emolumento aut gloria ex hoc labore ad me redun-

dante

a) Hinc illi rumusculi ignorantia, ne dicam malitia pleni: er *studiret* zu viel/ leget sich zu viel auf *rem literariam & historicam*, & quæ sunt alia. Ad quæ, licet ulla responsione non sunt digna, alio tempore & alia occasione tale, quale istis conviciis necessarium existimo, responsum dabo: in præsens autem verbis Cl. *Schötgenii* in præfat. ad scriptum altes und neues Pommerland, ad primum illud tantum respondebo: Zwar werden sich einige finden / welche sich einbilden mögten/ ich hätte in meinem Amte schon gnug zu thun/ und könte diese Arbeit wol stehen lassen/ damit ich jenen ein recht Gnügen thun mögte. Denen dienet zur Nachricht / daß mir GOtt bey meinem Amte auch einige Ruhe-Stunden gönnet / welche ich nebst meinem Christenthum auf nichts bessers/ als die *studia* zu wenden weiß. Wie ich nun in den Früh- und Nachmittage-Stunden über einer andern Arbeit begriffen bin/ als habe ich die Abend-Stunden zur Historie genommen. Mein Amt sol deswegen nicht liegen bleiben. Ich habe auch nicht Uhrsache zu fürchten / daß ich mich entweder todt/oder aus dem Geschirr *studiren* werde/ sondern bemühe mich nur dahin / daß mich der Teufel zu keiner Zeit müssig finde.

b) Lib. 2. cap. 4. de augment scientiar.

c) in præf. ad HALESII Hist. Concil. Dordrac. §. 36. p. 118. seq.

d) in Conspectu Historiæ Literar. p. m. 3.

dante gannniant atque crepant hebetiores ingenii aut malitioſi animi homines, nihil curo, ignorantiam atque malitiam vero illorum admodum doleo. Verus enim Chriſtianus non χρυσον, ſed χρισον quærit, & πλεονεκτικα illa aucupia, quæ multi hodie venantur, ſerio odit & deteſtatur. Si tamen quidquam laudis inde in me forſan redundet, ſciant velim, me vanæ gloriolæ cupiditatem nunquam ita vexaſſe, ut auram captare, ac ſtulte aucupari laudes propoſitum unquam fuerit, quanquam, cum magno *Ufenbachio* inter Attalos hujus ætatis principatum tenente, cujus verbis hic utor, a) haut diffitear, me nominis memoriam ac exiſtimationem minime ſpernere. Non enim homines puto, ſed bruta ac fungos, qui nullam memoriæ ac bonæ famæ rationem habent; ſed fruges conſumere, vel etiam opes (quod ſtultius adhuc ac magis deteſtabile hominum genus eſt) corradere nati, nil agere ſtudent, quod gratam poſteris memoriam etiam poſt fata reddere ac conſervare poſſit.

§. XXXI. Sed erunt denique forſan alii, imo fuerunt, qui clamitant, quid ſit, quod homo cum ſim nullius famæ, ad perſcribendas tamen memoriæque tradendas Theologrum Lutheranorum tantis meritis illuſtrium vitas, animum adpulerim. Dicunt, illa res eſt hominis non leviter eruditione tincti, ſed Theologi cujusdam judicio eruditione, diligentia & omnibus denique ſcribendi artibus atque præſidiis conſpicui. Sic qui ſentiunt & ajunt, licet magnopere refragari nolim, quippe qui optime novi eccleſiam noſtram abundare illis, qui provinciam a me occupatam utique accuratius multo, elegantius feliciusque adminiſtraturi eſſent. Id tamen reſpondebo: Cum ex iis nemo extiterit, qui talem laborem in ſe ſuſciperet, mihi vitio vertendum non ſit cum pro virili Theolo-

a) vid. præf. ad catal. Biblioth. Ufenbachian.

rum nostrorum memoriæ quocunque modo consulere ac commerita laude prosequi in animum induxerim. Præterea consentiente summo quodam Theologo a) tristissimam & eruditorum & ipsarum literarum conditionem fore, si nihil emittendum esset, nisi ab illis, qui totius terrarum orbis volumina & Bibliothecas devoraverint.

§. XXXII. Bono itaque annimo hunc laborem aggressus sum, & constanti animo ad finem perducere decerno. Verum cum sperandum non sit, ut nullæ prorsus in exsequendo ejusmodi consilio suboriantur difficultates, b) Satanæ enim & mundi machinationes jam præsentio, majoribus statim initio ardentibus ad Deum fusis precibus occurrere, leviores vero ob summam utilitatem spernere, convenit. Faxit tamen summum Numen, c) ut vel æterno ego silentio inter non scribentes delitescam, vel semper ut virum ingenuum liberalis & generosæ educationis, veræque Philosophiæ studiosum decet, scribam: veritatis unice indagator, absque omni stili acerbitate, mitis, urbanus, candidus, ad id, quod indecens est, adeo non pronus, ut nec movendus: nugarum denique contemtor.

§. XXXIII. Coronidis tandem loco hæc pauca adjiciam monita (I) Totum opus juxta tria secula in quibus Evangelica a Luthero reformata ecclesia floruit, in tres partes divisum, in lucem emittere publi-

a) D. Mosheim in præf. ad cogitationes in N. T.

b) Vere enim scribit Sum. Rev. GOETZIUS Lubecens. **im Send-Schreiben** ad Io. Christoph. Olearium 1704. edita p. 94. **Ich muß aber noch eins eröfnen/ daß der Teufel ihrer Prediger-Historie gramm nnd gehässig sey/ und diese nützliche Arbeit mit allen Fleiß hemmen und unterdrücken werde. Denn gleich wie er den Predigern bey ihren Leben auf alle Weise Schaden zu thun trachtet; also ist er auch bemühet ihnen nach ihren Tode/ und allen denen/ so ihr Gedächtniß zu conserviren suchen/ hinderlich zu seyn. Daher es da und dort an Hinderniß nicht gebrechen dürfte.**

c) Quo voto dissert Io. Antiocheni Malatæ Histor. Chronicæ Oxon. 1691. 8. editæ, præmissam, concludit *Humfred. Hodius.*

publicam, conſtitui. (II) Et cum præſenti ſeculo, cujus jam quarta pars elapſa eſt, per ὕστερον πρότερον initium faciendum eſſe monuerint Patroni atque amici, illis obtemperare nolle nefas duxi; licet enim quam multi, quam boni quamque varii hoc ſæculo ubique terrarum ac gentium editi libri de clarorum virorum vitis, nemo tamen erit, qui iverit inficias, Theologorum noſtrorum hujus ſæculi vitas nullibi conjunctim & ne quidem omnes ſparſim extare. (III) Si itaque ſint, qui velint iſtos meos conatus juvare & unius pluriumque Theologorum vitas colligere atque accurate deſcriptas mecum communicare, liberum illis erit, meque offero ea quæ tranſmittent, ſingula integra immutataque ad eorum voluntatem ſive cum, ſive absque autoris nomine, prout ipſi placet, inſerenda curare, atque inſuper (IV) condignam beneficio vicem exſoluturum eſſe promitto. Neque enim æquum vel honeſtum nobis videtur, a) ullius induſtria vel opera ita uti, ut emolumentum inde ſoli feramus, neque nobis qui aliis ſolet, mos eſt, eruditorum lucubrationes oſtiatim quaſi ubique emendicatas Bibliopolæ vendere, quo lucro nihil abjectius eſſe poteſt vel magis ſordidum. Et (V) ut ſciant amici & fautores, qua occaſione ad me transferri queant literæ, atque reliqua ſubſidia benevole mecum communicanda, rogo ut circa nundinas Lipſienſes & Francofurtanas per Bibliopolas ad illas proficiſcentes tranſportare & ut Lipſiæ aut Francofurti in manus optimorum virorum *Nicolai Förſteri* Bibliopol. Aul. Hannoverani, ut & *Joh. Henrici Meyeri* Bibliopolæ Lemgovienſis & Oſnabrugenſis exhibeantur, curare velint. Denique VI) cum mihi & omnibus iſta maneat nox, qua calcanda ſemel via lethi, illud in

a) His verbis utor cum autore, qui 1716. Halæ novam librorum rariorum collectionem evulgare cœperat.

metum adduxit plurimos, ut præclare quidem inchoata ad finem perducere nequirem, & meam atque illorum adeo diligentiam perderem. Sed arbitror horum objectioni ita occurrere posse, ut sub initio cujuscunque anni Historiam laboris breviter referam, & in præsenti rationem, qua singula servare possunt integra exsponam. Sic nempe statutum habeo cum animo & deliberatum, quocunque anno iteratam allocutionem ad eruditos Historiæ Literariæ & Ecclesiasticæ cultores emittere in eaque progressum laboris exponere, supplementa & theolegorum indicem dare, minus recte posita emendare, communicata indicare, eruditorum epistolas hac in causa datas recensere, judicia illorum de labore commemorare, verbò, unius cujusque diligentiam etiam hac ratione ab oblivione vindicare. Ab interitu vero ita conservare studebo eruditorum communicata, ut nihil quidquam mea saltem culpa pereat. Totum enim apparatum meum librorum atque documentorum ad vitas Theologorum collectum, & in posterum studiose colligendum, una cum commercio literario cum eruditis suscepto, celeberrimæ cujusdam Bibliothecæ publicæ, post beatam meam ἀνάλυσιν, quam quotidie ad sapientissimæ sanctissimi Numinis voluntatis nutum, desidero, expecto, anhelo, particulam esse volo, quemadmodum in proxima allocutione pluribus declarabo, &, si necesse erit, Bibliothecam, cui perpetuam hanc custodiam committere cupio, nominabo. Addat Deus orsis tanti operi successus prosperos in rei literariæ felicitatem & incrementum. Postremo: *Inspicere tanquam in speculum in vitas omnium jubeo atque ex aliis sumere exemplum sibi a)*

INDEX

a) Sunt verba Demeæ apud Terentium in Adelph. Act. III. Scen. IV. v. 61. p. m. 168.

INDEX
THEOLOGORUM LUTHERANORUM CHRONOLOGICUS.

Admonitio ad Lectorem.

Habes hic L. B. Indicem Theologorum Lutheranorum meritis & scriptis celebrium, sed tantum eorum, quorum notitiam expiscare potui. Supersunt, optime novi, boni æque ac celebres ecclesiæ nostræ Theologi, quorum nomina hic desiderantur, sed omnia in tanto rerum pelago uno tempore sub tuo conspectu ponere, a conditione, in qua vivimus, videtur esse alienum, in continuatione vero illa explere & supplementa scribere tibi & mihi datum est. Ego diligentiam & scribendi alacritatem in his meam tibi testor, tuum vero est, meum laborem omni cura tuis consiliis, subsidiis, auxiliis etiam tua benevolentia juvare & mihi tanta rerum scribendarum copia, quasi subrutum succurre. Indicem autem quando voco Theologorum Lutheranorum, istos Theologos, qui doctrinam evangelicam a Luthero repurgatam, & in libris ecclesiæ nostræ symbolicis propositam ad vitæ exitum aut per aliquot saltem vitæ spatium pure ac constanter in timore Dei docuerunt, & ore & calamo candide proposuerunt, intelligo. Mirari itaque sinas, qui fiat, ut etiam Agricolæ, Majoris, Amsdorffii, Osiandri, Flacii, Strigelii, Stœsselii, Huberi, Pelargi, Schadenii, Bœsenii, Krumholtzii, *atque similium nomina, qui in ecclesia nostra excitarunt turbas, aut a veritate evangelica apostasiam fecerunt, aut alios nævos, vel quoad doctrinæ puritatem, vel vitæ sanctimoniam habuerunt, hic offendas, cum hos viros multa cæteroquin bona ecclesiæ Lutheranæ præstitisse,*

tisse, & aliquando pure verbum in ea docuisse, deprehendas. Cave etiam, ne existimas, quod illorum errores in sinu fo-veam, aut aliqua saltem ratione hac vitarum recensione illis patrocinari velim, absit illud a me! & longissime absit! Scapham scapham dicere constitui, sed ista moderatione utar, ut omnes horum Theologorum errores contra Sacram Scripturam & articulos fidei fundamentales in libris nostris Symbolicis obviis, commissos, ingenue proponam, atque ex animo rejiciam, & nihilominus merita illorum commerita laude prosequar. Praterea quoque illud scias, quod Politicos, JCtos & Medicos, v. gr. Hieron. Schurffium, Theodor. Reinkingium, Beustium, Gœdelmannum, Cothmannum, Brunnemannum, Georg. Francum a Franckenau *& alios, qui scriptis etiam theologicis clari, huc referre noluerim, ne prariperem illis, qui indices aut historias illorum scribere, olim sibi præsumerent: Philologorum vero & Philosophorum ex Lutheranis clarorum nomina, ego ipse confectis prius jam aliis quibusdam laboribus theologicis, præcipue Concordantiarum Hebraicar. Chaldaic. Græcar. & Germanicar. compendiis, Deo ita volente in indicem redigam. Attamen ea ratione a me impetrare non potui, quin Generosiss. & Illust. Dn. de* Sweidtnitz *atque* Seckendorffium & *pientissimum* Ahasverum Fritschium *hic omitterem, cum illorum merita & scripta theologica tanta sint, ut illa in historia Theologorum reticere nefas foret. Denique si quis in hoc indice errores observaverit & memoriæ lapsus aliosque defectus invenerit, quod in assignanda autorum notitia facile fieri potest, in proxima allocutione eos lubens agnoscam atque comiter amiceque illos monstranti grates persolvam debitas. Vale ex voto tuo & si dignus fave.*

SE-

SECULUM XVI.

Annus 1517.

1) MARTIN. LUTHERUS, φῶς καὶ ὄμμα sanioris Theologiæ. Natus Islebiæ 1483. d. 10. Nov. denatus 1546. d. 18. Febr. Hic vir, qui sine vi ferri, vi verbi, & inermibus armis, sine re, sine spe, contudit orbis opes, veluti Theologorum Lutheranorum primicerius, merito hic primum occupat locum. Vitam dederunt fere innumeri, a) inter quos eminent *Melanchton*, *Myconius*, *Matheſius*, *Selneccerus*, *Mayerus*, *Lœſcherus*, *Balius*, *Iunckerus*, *Tentzelius*, *Krafftius*, *Seckendorffius*, *Kochius* atque *Cyprianus*. Ex quibus singulis magno labore, ea ratione, ut in epistola germanica dixi, historiam Lutheri collige re cœpi, faxit summum Numen, ut mox ad finem perducere queam. Interim grates persolvo omnibus, qui obstetricantes manus ad hunc laborem perficiendum dederunt, ex quibus tantum honoris causa nomino, verbi Divini ad Divum Chatharinæ, quod Osnabrugi est Ministros Dn. *Bœcklerum*, oratorem suavissimum, Domin. *M. Krochmannum*, Exegetam doctissimum, & Dn. *Gerdingium*, Catechetam ad captum Iuventutis accommodatissimum, a quibus e Bibliotheca, quæ est in templo S. Catharinæ, Opera Lutheri Altenburgensia aliaque Scripta utilissima ad biennium usque communicata possideo, iisque magno studiorum meorum emolumento utor.

Annus 1523.

2) ULRICUS DE HUTTEN, Eques francus. Poeta, Miles, JCtus, Theologus n. 1488. qui judice

a) Quorum non pauca post b. *Iunckerum* in præfatione zum Ehren-Gedächtniß Lutheri, refert. M. I. H. W. (i. e. M. Wimmer) in pecul. commentatione Wittebergæ 1723. 4. edita. adde D. *Gætzii* Præsulis apud Lubeccenses meritissimi programmata III. quibus biographias & apologias Lutheri recenset.

Viri amiciſſimi *D. Bude ri* a) fuit veritatis adſertor, & ex elogio *Reusneri* b) Religionis vindex fideique rectæ conſtantiſſimus. Eoque nomine merito inter Theol. Luth. referendus c) Vitam dedit *Cl. Burchardus* tribus part. 1717. 1723. 8.

Annus 1524.

3) HENR. ZUTPHANIENSIS Prior Antwerpienſis, poſt domeſticus Lutheri & eccleſiaſtes Bremenſis per biennium, inde ejectus in martyrio combuſtus 1524. Vitam dedit vir S. R. D. *Muhlius* in diſſertat: Hiſtorico Theol. p. 401-472. Adde *Ebersbachium* in præfat. ad confeſſ. fidei Henrici 1713. in. 8. editam.

Annus 1525.

4) IOH. STAUPITIUS Eques Misnicus. Vicarius provincialis Auguſtinianorum per Germaniam, tandem Abbas Salisburgi. Inſignis Lutheri patronus ſed admodum meticuloſus. De morte ejus nondum adeo certus ſum reliqua quæ ad vitæ ejus hiſtoriam ſpectant ex Cl. Gœtzii diſp. de *Joh. Staupitio. Adami* vitis, *Frehero, Seckendorffio, Arnoldo Spangenbergii* Adels-Spiegel / aliisque à *Rollio* in Bibliotheca Nobil. Theol. p. 216. ſeq. citatis hauriri poſſunt.

5) GEORG WINCKELER nat. Bischoffswerda, Evangelium Halæ prædicare cæpit, ſed á Cunrado Hoffmanno, Canonico Halenſi, gladio perfoſſus martyr eccleſiæ factus. *Wetzel.*

Annus

a) in vindic. Iuris Imperat. adverſus urbis Romanæ Epiſcopos p. 28.

b) In Imagin. Viror liter. illuſtr.

c) Inter quos illum quoque refert, *Cl. Ellies du Pin* in Bibliotheque des Auteurs Separez tom. I. p. m. 97. ubi inter alia ita de Hutteno habet: *Il ſe mêla enſuite des affaires de Religion, & fut un des plus Zelez defenſeurs de Luther. non-ſeulement il le ſervit par ſa main, mais encore par ſes écrits & fut le premier, qui s' éleva contre la Bulle de Leon X. en faiſant des notes pour la refuter.*

Annus 1529.

6) ADOLPH CLARENBACHIUS, Vesaliæ atque Osnabrugi docuit, & martyrium Coloniæ ob veritatem evangelicam tulit. Celeb. *Muhlius* in diss. H. Theol. p. 396. spem fecit de vita ac martyrio ejus commentare.

7) BALTH. DüRING primus evangelii minister Coburgens. Luth. ac Melanchtoni carus pauca de illo constant. vid. *Schlegel* in vita Langeri & *Thomæ* licht am abend / p. 350.

Annus 1530.

8) FRANCISC. LAMBERTUS. e minoritis fit Luther. Theol. Prof. in acadamia Marpurg. nat. Avenoni (Gall. Avignon) 1487. Sunt qui ad castra Calvinistar. illum transiisse volunt, sed absque fundamento. Vitam lege in *Rel. Innoc* 1709. p. 17. breviter sed eleganter descriptam, ut & in Cl. *Schelhornii Amœnitat. T. IV. p. 307-389.*

9) D. FRANCISC. RUESNER. Parochus Suidnicensis, Canonicus Vratislaviensis, doctrinam evangelicam probabat. Cons. *Hankium* de Silesiis indigenis eruditis p. 206. & M. G. N. *Scharffii* in der Glückseeligkeit des evangelischen Schlesiens p. 11. 39. & 40.

Annus 1532.

10) M. IOACHIMUS KUTZKERUS al. *Schlüterus* protoevangelista Rostochiensis. vide Sum. Rev. Dav. *Henrici Kœpkenii* pecul. de Kutzkero dissert. 1702 conf. *Grapii* Rostochium evangelium p. 37. seq.

Annus 1534.

10) HERMANNUS. v. BUSCH. Westphaliæ eques. nat. in episcopatu Mindensi 1468. Pœta, historicus & Theologus. Vitam Cl. *Burckhardus* præmisit vallo humanitatis Buschii, Anno 1719 iterum edito.

11) LAZARUS SPENGLER Senatorem hunc Noribergensem ob scripta theologica, ob cantilenam durch Adams Fall ist

gantz verderbt. & denique ob merita erga Theol. Luth. ipsum inter Theol. Luth. refero, Conf. præter *Adamum*, *Freherum*, *Camerarium*, *Seckendorff.* *Serpilii* Prüfftung des Hohensteinischen Gesangbuchs / p. 61-66. seq.

Annus 1537.

12) D. IACOBUS FABER Stapulensis. in confessione quidem evangelii justo meticulosior attamen inter Theol. Lutheranos illum referre non dubitavi. De vita ejus Confer. *Fabricii Histor. Biblioth. Fabricianæ* P. 1. p. 152. & p. 256 & autores ibi allegatos.

Annus 1538.

14) NICOL. HAUSMANN. Freibergensis primus evangel. Pastor Schnebergæ, vir humanissimus, candidus & Lutheri charissimus. Mort. apoplexia d. 4 Sept. conf. *Meltzers* Historiam Schneberg. renovotam p. m. 318 seq. reliqua ex *epistolis Lutheri*, *Seckendorffio* etc. colligi debent, adde M. *Schumacheri vitam Siberi*, p. 255. *seq.*

Annus 1540.

15) D. RUBERTUS BARNES Anglus, Lutheri discipulus. Martyrium sustinuit in Anglia Confessionem cum martyris hujus elogio, judice D. *Muhlio* l. c. p. 394 *satis exquisito, ac sine fuco & lenocinio* edidit Lutherus 1540. Conf. *Seckendorff. Adami.*

16) IOH. SCHWEBELIUS Pforzheymensis, n. 1490. primus evangel. pastor Bipontinus. Vitam præmisit centuriæ epistolar. theol. 1597 in. 8. editarum filius *Henricus Schwebelius*, Cancellarius Bipontinus.

17) D. CHRISTOPHORUS HEGENDORFFINUS sive *Hegendorphius* Lipsiensis. J. V. D. primum Syndicus, postea Superintendens Lüneburgensis. Vitam & scripta exhibet Bertrami Lüneburgische Kirchen historie / p. 157-165.

Annus 1541.

18) D. WOLFFG. FABRI-

BRICIUS CAPITO. Hagenoæ natus 1478, trium facultatum Doctor, pastor Argentinensium, qui momente b. *Fechtio* in apparatu ad Ep. Marbachianas p. 168. reformatæ per Lutherum religioni, quamvis ex toto animo deditus esset, moderationem tamen, ut erat placidissimi ingenii, ita ut ad vitium sæpicule declineret, amabat. *Pantaleon. Adami. Seckendorff. Wetzel. Ubse. D. Fabricii centuria Fabriciorum p. 77.*

19) CASP. GUTTELIUS primus evangel. pastor Islebiens. Vitæ curriculum ipse descripsit, quod cum in MSt. Islebiæ supersit, Cl. *Bieckium* publice rogo, ut mecum communicare velit.

20) D. IOH. POLIANDER, al. *Grauman* dictus. Pastor Gedanensis. Vita extat *Part. XIII* des Erleuterten Preussens / n. 20. conf. P. XIX. & XXI. *Wetzel.*

21) URBAN. REGIUS, quis fuerit *Ioach. a Beust*, in explicat. Evangel. P. 1. p. m. 597. ubi Regio, sequens Epitaphium posuit, ita exprimit:

Qui jacet hic, vir qualis erat? ne quere Viator
Ut cognomen erat, Regius ipse fuit.

Vitam ejus ab *Ernesto Regio.* F. conscriptam edidit *M. Wagner* Witteb. 1712. ex qua multisque aliorum scil. *Adami, Seckend. Vejelii, Sylvestri, Grabii, Bertrami, Baylii, Serpilii &c.* relationibus, singula cum cura colligere cœpit. Domin. *Schlichthaberus*, nuper Pastor Mindensis vocatus, cui etiam hoc nomine gratulor, & ut semper Urbanus sit in dicendo, opto.

Annus 1542.

22) IOH. CELLARIUS Superint. Dresdens. n. *1496* Vitam dedit *Schlegelius* im Leben der Dresdnischen *Superint.* p. 5. seqq. cum quo conferri debet *Dn. Rittrus* im Denckmahl der Stadt Franckfurth, pag. 130. seqq.

Annus 1543.

23) MATTH. AUROGAL.

GALLUS, Prof. LL. Græc. & Hebr. Wittebergæ, fidelis Lutheri in versione Bibliorum parastates, vitam lege in Lexico H. U. Tom. I. p. 278. ex *Baylio*. Meliora exspectamus a Doctiss. *Krafftio* in historia vers. Bibl. German.

24) PAULUS CONSTANTIN. PHRYGIO, germanice der Costantzer/ Histor. & Theol. Tübingensis. *Fischlini* memoria Theol. Würtembergensis P. I. p. 12. seqq.

Annus 1545.

25) GEORG. SPALATINUS, Historiographus & Theologus Saxonicus, Lutheri idem, quod Jonathan Davidi. Vitam eleganti commentario illustravit b. *Schlegelius* Jenæ 1693. 4. Confer. *Hortleder*. Vol. I. de causis belli german. Lib. IV. c. 23. p. 1479.

Annus 1546.

26) FRIEDER. MYCONIUS n. 1491. Lichtenfelsæ in Franconia primus evanglii præco in urbe Gothana. De vita Myconii, vide *Anton. Probi* orationem de Myconio typis excusam Schmalk. 1597. *Sagittarium* in hist. Goth. p. 168. seq. & *Cyprian.* in præf. ad Myconii histor. Reformationis 1718. iterum editam, p. 30-56. *Celeb. Schlegelius* vitam quoque ex documentis delineatam dedisset, nisi morte præventus.

Annus 1547.

27) D. CASP. BORNERUS, Theol. Lipsiensis, si quis de vita, præter ea, quæ apud *Adamum* extant singularia dare posset, forent gratissima.

28) JO. HESSUS, Theol. & Pastor Ecclesiæ Uratislaviensis, nat. Norib. 1490. de vita confer. *Hankium* de Silesiis indigenis. *Panken* in Beschreibung der Breßlauischen Pastorum zu St. Mariá Magdalenen/ p. 6. seq. *Adami Wetzel*, conf. *Rungii* miscellanea literar. p. 77.

29) WENC. LINCK, Colditiensis, pastor Altenburg. deinde Noribergensis, epistolas ad Lincum datas evulgavit & vitam præmisit.

præmisit. *D. Verpoortenius* 1708. 8.

30) ANTON. MUSA, Pastor Martisburgi. *Freher* conf. *Rel. Inn.* 1726. p. 679.

31) EBERH. WEIDENSEE, Theol. Halberstad. Magdeburg. & Goslarienſ. Vitam ex *Hamelmanno, Seckendorffio, Heineccii Antiq. Goslarienſ.* & aliis collegi.

Annus 1548.

32) HERM. BONNUS, Quakenbrugo Osnabrug. Theolog. Lubecenſis & Reformator Osnabrugenſ. Vitam illius dedit *Caſpar. Henric. Starcke* 1710. 8. nuper in hiſtoria Lubecenſi recuſam.

33) CASP. CRUCIGER Lipſienſis, n. 1504. Theol. Wittenbergenſis, oratione de eo habuit *Reinholdus*, quæ extat T. III. Orat. Melanchtonis, ex qua *Adami* ſua hauſit. Adde *Zeltner.* de doctis correctoribus p. 131. ſeq. *Zeibichii* ſchediasma de Theol. ad tempus commodatio p. 28. *Verheiden, Pantaleon, Seckendorff.*

34) JOH. LANGERUS, Bolckenhanenſis Theol. Coburgenſis. Vitæ curriculum dedit *Schlegelius* primum 1717. in initiis Reformationis Coburgenſis, & 1724. mutato titulo in obſervationibus ad vitam Langeri Goth. in 4. conf. *Hanckium* de Sileſiis indigenis eruditis, & *Thomæ* Licht am Abend p. 353. ſeq.

35) MATTH. ZELLIUS, Theol. Argentin. *Adami* conf. *Schadæi* ſummum Argent. templum p. 81.

Annus 1549.

36) D. IO. BRIESMANN, n. 1488. Reformator Boruſſiæ. Vitam ejus conſcripſit *M.* Bayer im Erleuterten Preuſſen. Part. XVII & XXVII. conf. Hartknochs Preuſiſche Kirchen *Hiſtorie*, lib. II c. 1. §§ 11. 13. 15. 17.

37) IOH. HONTERUS. nat. Coronæ germ. Cronſtadt a) Reformator Tranſylvaniæ

a) Fuit autem Corona Tranſylvaniæ non Boruſſiæ, quare Honterum a Staravolſcio in ſcriptorum polonicorum centuria p. 57. falſe inter Polonos relatum eſſe judico.

sylvaniæ conf. *Czvitinge-rum* p. 178 - 184 &. *Stara-volsoium* infra citatum.

38) LAURENT. SüSSE primus Evangelii Pastor Nordhusanus. *Rel. Innoc.* 1720 p. 567 - 571.

39) VITUS THEODORUS sive *Dietericus*, Theologus Noribergensis in patria *Adami. Ubse.*

Annus 1550.

40) IOH. SPANGENBERG nat. Herdexæ in ducatu Calenbergico. Docuit primum Nordhusæ & Stolbergæ, & factus est primus Superint. General. Islebii historiam de vita & scriptis *Cl. Leuckfeld* Spangenbergii Haus- und Frag-Postill. 1720. 4. præmisit.

Annus 1551.

41) MART. BUCERUS Argentoratens. a) Theologus quidem eruditus & boni judicii, sed admodum timidus & inconstans, quem tamen inter Theol. Lutheranos cum *Dieffenbachio* in Iudæo converso, *Serpilio* in Personaliis Davidis, p. 11. p. 421. *Lintrupio* in vita Bugenhagii a Lemmælio edita p. 99. atque aliis, referre non dubitavi. Vitam Buceri evulgavit. *D. Verpooten* Coburgi 1709. 8. Confer. quæ 1562. in 8. de vita obitu, sepultura &c. Buceri, Fagii, & Petri Martyris, sub tit. *Historia vera*: edita. Adde *Fechtium* in Ap. ad ep. Marb. pag. 60. *Adamum*, *Seckendorff. Bayl. Ubsen. Blount. Nat. Alexander* in historia Eccles. Sec. XVI. *Serpilium* i. e. *Löscherum* in hist. Relig. Motuum. *Sudens* gelehrte Criticum P. 3. p. 1177. *Hottingerum* in H. E. Sec. XVI. Part. II. p. 416.

42) D. NIC. MEDLER. Numburgensis, Brunsvicensis &c. cujus vitæ historiam evulgare promisit Dn. *Schamelius* in Indice ad P. 1. des Evangel. Lieder-Commentarii p. 80. Conf. *Wolff-Krügers* catal. mille virorum pag. 204. *Blumii* Braunschw.

a) Bucerum Agentoratens. non Selestad. natum esse docuit *Dieffenbachius* in Iudæo Converso p. 306. & ex illo *Serpilius* loc. cit.

Braunschw. Prediger-Gedächtniß 1706. edit. *Ludovici* histor. Rectorum P. 2. p. 297. seqq. & p. 321. seq. *D. Gætzii* dissert. de theologis sub auspiciis novorum officiorum demortuis §. 6. *Ritmeierum* P. III. p. suppl. pag. 82. & omnino 173. & in *Streitbergeri* orationem de vita Medleri in Gœtzii elogio, Batto-Medleriano 1710.

43) D. HIER. NOPUS, Superint. Ratisbonensis, Vitæ descriptionem dedit b. *Serpilius* in præf. ad Kindervateri Nordhusam illustrem.

44) JOH. THALIUS Theologus, qui post agnitam evangelii veritatem docuit Erfurti.

45) D. BERNH. VELCARIO sive *Barthol. Bernhard. a Feldkirchen*, Prof. Wittebergens. Præpositus Kembergensis, & primus Theologus Lutheranus Maritus. Vitam dedit b. *Feustking* latine in historia Cleromagiæ Evangelicæ Witteberg. 1703. & germanice 1705. in 4.

Annus 1552.

46) CASP. GRÆTER, Suevo Hallensis. Wirtemb. Ducis Ulrici Concionator Aulicus & Consiliarius, pauca sunt, quæ *Fischlinus* in memor. Theol. Wirteb. P. I. p. 40. de vita ejus refert, plura quæro.

47) OSWALD. MYCONIUS, al. *Geishäuser* dictus. Theol. Basiliensis in sententiam Lutheri de sacra cœna propensus officium abdicavit, vitamque privatam egit. *Adami, Pantaleon, Hoffmann.*

48) D. ANDR. OSIANDER, nat. patre *Andrea Hosemann*, Pastor primum Noribergensis, deinde Borussiam venit, & epilepsia mortuus. Vir multijugæ eruditionis, qui in Harmonia evangelica adornanda, egregiam præstitit operam, sed ex nova de justificatione doctrina sibi attraxit maculam. Vitam Osiandri, si quis ex *Hartknockio, Adami, Seckendorffio* atque aliis collectam mecum communicare vellet foret gratissimum. De er-

rore illius proſtat, beat. D. *Wegneri* hiſtoria Theolog. de Oſiandrismo Regiom. 1707. 4. adde *Schlüſſelburgii Catal. Hæreticor. libr. VI. p. 42-259.*

49) HERMANN TAST Reformator eccleſiæ Huſumenſis. Vitam dedit. *Dn.* Krafft in der Huſumiſchen Kirchen-Hiſtorie *1723. in 4. edita.*

Annus 1553.

50) D. IOH. ÆPINUS, germanice *Huck*, Hamb. Eccleſiaſtes ibidem. Vitam deſcripſit Joachimus Magdeburg. Anno 1553. a) ſed meliora a Viro S. R. D. *Frantz Alberto Æpino*, Theol. Roſtochienſi meritiſſimo, exſpecto. Conf. *Pentaleon. Adami, Rel. Innoc. 1719. p. 19.*

51) D. ERASM. ALBERUS, Superint. Pomeran. Orientalis, Paſtor Magdeb. ſepties ob conſtantiam animi exul, tandem Neobrandeburgi in Mecklenb. pie obdormivit. De vita confer. *J. C. Olearii* Anmerckung über den Geſang *Alberi*, GOTT hat das Evangelium / ꝛc. 1720. 8. pl. $I\frac{1}{2}$. *Rel. Innoc.* 1720. pag. 986. & 1721. pag. 363. 554. An. 1722. p. 427. *Wetzel.*

52) ANTON. CORVINUS, Cythogallus, b) Theolog. celebris. Vitam ex *Hamelmanni* operibus, *Heineccii* Antiquit. Goslarienſibus, & *Cl. Hausmanni* notitia de Bibliothecis Hannoveranis public. 1725. edita, & benevole mecum communicata, collegi.

53) GEORG PRINCEPS ANHALTINUS, Aſcaniæ Comes &c. Præpoſitus Magdeburg. & Misnenſis. Quem inter Principes Theologos ſuum tueri locum nemo inficietur, qui pientiſſimi Principis ſcripta legerit. Vitam omnium optime deſcripſit, *Beckmann* in hiſtoria Anhaltina lib. 5. P. 2. c. 14. pag. 153. proſtat quoque

a) Teſte Wetzelio in Hymnopœographia P. II. p. 145.

b) Quod *Hamelmannus* vertit Warpurgenſis, non Marpurgenſis, ut in lexico Erudit. T. 2. p. 1645. per errorem typographicum legitur. *Heineccius* autem reddit Hannoveram.

quoque *M. God. Victor Mæhringii* disput. pecul. de Georgio, Principe Anhaltino Wittebergæ 1704. habita, conf. *Gœtzium* in Meletemat. Anæb. *Frehe-rum*, *Seckendorff*, *Adami*, *Veielium in historia Reform. ex scriptis G. Principis Anhaltini*: *Camerarium* in vita Principis conjunctim cum vita Melanchtonis 1723. recusa.

54) CASP. HUBERINUS, Eccl. Augustanus. Hic puriorem doctrinam, quam Augustæ per bene longum temporis spatium defenderat, cum magna hominum offensione deseruit, & formulæ intermisticæ Doctor evasit. Notante Cl. *Wendlero* in disp. de Augusta literata p. 20.

Annus 1554.

55) AMBROS. MOIBANUS, Pastor Ecclesiæ Vratislaviensis. *Adami*.

56) JAC. SCHOPPERUS, Pastor Bibracensis. Vitam ab ipso filio adornatam & cum oratione, de vita & obitu *Joh. Hochmanni* JCti Tubingens. editam, si quis ad me mittere vellet, faceret rem gratissimam, conf. *Zeltneri* vitas Prof. Altorf. p. 59.

57) PAUL. SPERATUS a RUTILIS Pomeraniensis in Borussia Episcopus. Vitæ curriculum a Wigando delineatum in MSto latet, conf. gelehrtes Preussen Tom. IV. P. V. num 3. *Hartknoch*. pag. 269. *Rollii* Bibl. Nobil. Theol. p. 207. Scriptores hymnopœographicos, *Olearium*, *Schamelium*, *Gœtzium*, *Wetzelium &c.* it. *Adami*, *Seckendorffium*.

Annus 1555.

58) D. JUSTUS JONAS nat. Nordhusæ Theolog. Witteb. Hall. Jenens. & denique Eisfeldensis. De vita confer *Zeumerum*, *Verheiden*, *Seckend. Adami* & omnino *Kindervaterī* Nordhusam illustrem pag. 119. 136. adde *Diarium nostrum Salanum pag. 199. seq.* *Diezels* Eißfeldische Stadt-Historie p. 44-48. &c.

59) LEONH. CULMANNUS, Craylshemensis, nat. 1497. Antistes

Noribergenſis, hoc Anno dimiſſus, quo & ubi vero mortuus, non conſtat. Vitam & fata deſcripſit. D. *Zeltnerus* in peculiari diſp. Altorfi 1710.

Annus 1556.

60) D. JO. FORSTER. Philologus & Theologus Wittebergenſ. nat. Aug. Vindelic. *Adami* conf. *Serpilii* Schwäbiſcher *Theol.* Ehrengedächtniß/ meliora dabit, Cl. *Colerus.* in vitis Theolog. Wittebergenſ. 1719. in vita D. Wernsdorf. promiſſis.

61) D. BERNH. ZIEGELER, Theologus & Philologus Lipſienſis. Vitam dedit D. *Rolle* in tr. de Nobilibus Theologis p. 240-245. conf. *Albinum* in Chronico Misniæ p. 342. *Adamum.*

62) D. JO. KNIPSTRO, Superint. General. Pomeraniæ. Vitam dedit *D. Balthaſar* in der andern Sammlunge der Pommerſchen Kirchen-Hiſtorie.

Annus 1557.

63) M. LAURENT. HEIDENREICH, primuss Zittaviæ Evangeliſta. Vitæ deſcriptio proſtat ſub tit. *J. B. C.* Hiſtoriſcher Bericht von dem Leben/ Lehre/ Wandel/ Reformation uñ Aemtern. *M. Laur.* Heidenreichs. Leipzig 1717. 8. *pl. 9.*

64) GEORG. RORARIUS, primus a Luthero 1525. ut Diaconus Eccleſiæ Wittebergenſis ordinatus. Vitam præter *Krügerum*, *Freherum* & *Zeunerum* dedit *Zeltnerus* in centuria correctorum p. 473. conf. *D. Gœtzium* in diſſertat. de evangelii miniſtris a Luthero ordinatis, p 4. & 5. item de domeſticis Lutheri, p. 29. *Dn. Krafft* in hiſtoria verſionis Bibliorum, quam avide exſpectamus & cujus aliquot prodromi prodierunt, inprimis vide *prodromum continuatum p. 39. ſeqq. it. 114. ſeqq.*

Annus 1558.

65) D. JOH. BUGENHAGEN, Paſtor Eccleſiæ Wittebergenſis, hiſtoriam illius ſcripſit *M. Læmmelius* Hafniæ 1706. in 4. qui etiam 1709. evulgavit Bugenhagii epiſtolam apologeticam cum catalogo ſcriptorum

ſcriptorum Hamburgi in 4. confer. citati ibidem autores, adde Venerabil. Abbatem *Fabricium* Part. I. Hiſtor. Bibl. Fabric. p. 29 *Rethmeieri* Antiq. Brunsv. P. III. p. 54. &c.

66) D. ERHARDUS SCNEPFFIUS, Weinſpergæ, Greichojæ, Guttenbergæ, Wimpinæ, Saræponti, Marpurgi, Studgardiæ, & Tubingæ ac denique Jenæ docuit. Vitam dedit *Adami*, *Fiſchlinus*, *Zeumerus* conf. *Serpilium* Part. 2. comment. in Pſ. p. 417.

67) D. JUST. MENIUS, Patria Fuldenſis, docuit Iſenaci, Erfurthi, Gothæ, Lipſiæ. Vitam refert *Tentzelius* in ſupplement. hiſtoriæ Gothanæ pag. 166. *Toppius* in hiſtoria Iſenacenſi p. 32. *Rel. Innoc.* 1714. p. 226. *Adami*, *Fecht*, *Bieck* im dreyfachen *interim* p. 169.

Annus 1559.

68) MICHAEL CÆLIUS, Theolog. Mansfeld. ſcripta evulgavit Cyriac. Spangenberg. in quibus extat illius vita.

69) ERASM. SARCERIUS, Annæbergenſis, Theol. Lipſ. Eislebienſ. & Magdeburg. vitam dedit *Adami Verheiden*, conf. *Gœtzii* Meletem. Annæb. p. 1043. *Dieterici* diſp. de Annæberga, c. 2. §. 19. *Seelen* Athen. Lubec. P. 3. p. 43-55. *Relat. Innoc.* 1718. p. 769. & 1726. p. 200. ſeq. *Fecht.* loc. cit. p. 69.

70) JO. GAYLINGIUS, primus Evangelii in Ducatu Würtembergico, Paſtor, *Fiſchlin.*

Annus 1560.

71) CASPAR AQUILA Auguſtanus, Paſtor & Superint. Smalkaldiæ & Saalfeldenſis. Vitæ curriculum dedit. Dn. *Avenarius*, Meinungen/ 1718. 8. pl. 2. conf. *Weinrichs* Henneberg Kirchen und Schul-Staat. Cl. *Schubarti* autem vita Aquilæ, cujus mentionem facit *Wetzelius* im jetztlebenden Coburg p. 60. quantum ego compertum habeo, nondum proſtat, typis exſcriptum.

72) ANT. LAUTERBACH primus Superint.

Pirnavienſis. *Williſch* me moriæ Superint. Pirnenſ. n. 1.

73) PHIL. MELANCHTON, Theol. Philoſoph. & Philologus per orbem clarus. Vitam ejus diligenter & ornate perſcripſit *Joachimus Camerarius*, conf. Diarium meum Salanum Trimeſtre 1. p. 195. 198. & autores ibi allegatos. Scriptorum autem catalogum dedit *Georg Mylius* in chronolog. ſcriptorum Melancht. ſed accuratiorem promiſit Cl. *Krafftius* in der Huſumiſchen Kirchen-Hiſtorie/ pag. 81. de Mylii chronologia, dicens, daß mehr Fehler darinn als Blätter zu zählen.

74) PET. PALLADIUS Prof. Theol. Hafnienſis & Epiſcopus Seelandiæ, *Vinding*, *Bartholinus*.

Annus 1561.

75) D. JACOB. BEUERLINUS, Acad. Tubingenſ. Cancellarius, & Eccleſiæ præpoſitus, ex Evangelicis primus. *Adami*, *Freherus*, *Fiſchlinus*, Part. 1. p. 82-87. conf. *Pregizeri* Sveviam ſacram in ſupplement. p. 173. ſeq.

76(M. JO. TAUSANUS Birkindia Fionus, primus in Academia Hafnienſi Theol. Prof. Lutheranus & denique epiſcopus Ripenſis *Mollerus ad Bartholinum* p. 313. & *Laur. Jani Bröndlund, ſchediasma academicum Tauſano*. Hafniæ 1721. 4.

Annus 1562.

77) D. GERH. OEMICKEN, primum Lemgoviæ poſt Soſtæ, Mindæ, & denique Güſtrov. docuit. De vita ejus conf. *Thomæ analecta Güſtrov.* p. *129-138*. *Rel. Innoc.* 1709. p. 649.

Annus 1563.

78) PET. ARTOPÆUS, al. *Becker* Coſtinenſis, Rector primum Stetinenſis, poſtea Paſtor ad D. Mariæ. Vide *Micrælii hiſtor. Eccleſ. p. m. 735.*

79) PAUL. a RHODA, Paſtor & Superint. Jüterboccenſis, Goslar. Stetin. & Lüneburg. Vitæ acta collegit *Cl. Bertram* in der Lüneb. Kirchen-Hiſtorie/ p. 137. usque 157.

Annus

Annus 1564.

80) MATTH. IUDEX Dippolſwalda - Misnicus. Magdeburgi, Ienæ, Wiſmariæ, & Roſtochiæ docuit, Vitam dedit, *Andr. Schoppius* in oratione de vita Iudicis aput *Crenium*, Animadverſ. P. IV. 49 conf. *Zeumer.* l. c. *Fabricium* in Bibl. Fabric. P. II p. 427, *Bayle*, *Freherum* &c

81) IOH. MATTHESIUS Theologus in Valle Ioachimica pientiſſimus, Vitam omnium applauſu eleganter conſcripſit, *M. Ioh. Balth. Mattheſius* Dreßden 1708 / 8. Legi quoque ſi recte memini eſſe præmiſſam brevem vitæ deſcriptionem, Mattheſii, Poſtillæ ejus ſub tit. kurtze und zur Hauß-Andacht Seelen erbauliche Hauß-Poſtill / *Norib.* 1722. 4.

82) WILHELM SANDPHURDIUS, Paſtor Osnabrugenſis & Lüneburgenſis. Vitæ deſcript. dedit *Bertram* l. c. p. 592-595. conf. *Hamelman* in. opp. paſſim.

Annus 1565.

83) ALEXANDER ALESIUS, Scotus Theol. Profeſſ. Francofurti ad Oderam & Lipſiæ Conſ. *Iacobi Thomaſii orationes.*

84) L. NIC. AB AMBSDORFF. generis ſplendore & doctrina illuſtris, in eo tamen errorem commiſit quod ſtatuerit, *bona opera perniciosa eſſe ad ſalutem* a) Vitam & ſcripta referunt *Adami. Seckendorff. Pantaleon. Arnold. Freherus. Zeumer. Uhſe. Rolle* in Bibl. Nobl. Theol. p. 82. adde *Spangenberg.* Adels Spiegel P. II. lib. 7 cap. 18. p. 91 *Zieglers* Labyrinth der Zeit. *Paullini annales Iſenacenſes* p. 152 *Nichenckii* Schediaſma de Theol. Lutheran. ex Nobilibus p. 7. *Schöttgeni* deſcriptionem urbis quæ Wurcena vocatur p. 746. *Knochii* deſcriptionem Wartburg. apud Iunckerum in Hiſtoria Iſe-

a) Quamvis deinceps id intellectum voluerit hoc ſenſu, ſi ſcil. *opinio meriti adſit.* *Weismanni Hiſtoria Eccleſ. T. I. pag.* 199.

nacensi p 169 ubi ejus effi gies & epitaphium extat. etc.

85) GEORG HALA Baruthensis Pastor Weiblingensis, Superint. Zwickaviensis & Pastor Lipsiensis Vita extat in *Fischlini* mem. Theol. p. 22. *Rel. innoc.* 1723 p. 526. confer *Brunnii* Libell. Synopt. p. 48. *Pippingii* Arcana Biblioth. Thomanæ p. 66 & 121.

Annus 1566.

86) IOH. AGRICOLA à loco Nativitat. *Islebius* â parva autem statura Grickel cognominatus. Islebiæ, Francofurti ad Viadrum atq; Wittebergæ docuit, Berolini obiit. Antinomorum hæresin sparsit, & infelicem librum, *Interim* dictus cum aliis conflavit. De Agricolæ vita, erroribus & scriptis egit Cl. *Bieck* in Historia des Interims p. 16 25. *Bayle*, *Adami*, *Ulhse*. *Freherus*. *Seckendorff*. *Gotfr*. *Arnold*, *Ritter* in der Franckfurter *Reformat*. Historie *pag. 84. & seq.*

87) D. IOH. DRACONITES, Marpurgi & Rostochii docuit tandem Episcopus a) Pomeraniensis in Borussia, unde tamen Wittebergam abiit. Vitam refert, *Adami* & *Colbius in presbyterologia p. 13.*

88) IOH. FUNCCIUS nat. in altero Norinbergens. suburbio, quod Wherda dicitur, primum in patria deinde Regiomonti parochus, concionator aulicus, & denique depositio munere sacro, Consil. Aul. Tandem capite truncatus. De vita ejus confer autores in *Historia Bibl. Fabr* P. II. p. 512. seq. citatos.

Annus 1567.

89) FRANC. RUPERTUS primus Evangelii Pastor Gorlicensis, pauca sunt quæ de illius vita habet *Dn. Grosser* in der Lausnitz-historie P. II. p. 16 & 55.

90) VALENT. VANNIUS Primus cœnobii Maul-

a) Non Episcopum, sed præsidem egisse monet *Hartknoch* pag. 405.

Maulbrunn. Abbas. conf. *Fischlinum* l. c. p. 14. seqq. *Serpilii epitaphia suevorum* p. 68. *Fechtii supplem.* p. 55.

91) MICH. STIFELIUS Eislingensis, arithmeticus & theologus insignis. Accurata vitæ descriptione adhuc careo, habeo tamen singularia ex b. D. *Pippingii* Arcanis Bibliothecæ Thomanæ, p. m. 328-348. conf. *Iacobi Thomasii* additiones ad *Meelführeri* Historis. Spruch-Buch p. 895. seq. *Bayle.*

Annus 1568.

92) D. IOH. AURIFABER Uratislaviensis. Wittebergensium & Rostochiensium Theologus, postea Borussorum Episcopus, Vicarius Samlandiensis, inde Uratislaviam rediit. *Adami*, *Freherus*, *Hartknoch.* p. 364 & passim.

93) AMBROS. BLAURERUS, primum Monachus Alberbacensis, deinde docuit evangelium Constantiæ, & alibi. Melanchtoni & Calvino adhæsit. De vita nonnulla collegit *D. Nichenck* in fama & vita nobili Theologo Lutherano p. 16. 17 & 18. conf. *Fechtii supplem.* p. 167. *Frekerum. Fischlinum* P. I. p. 18.

Annus 1569.

94) IOH. LONICERUS Mansfeldensis Argentorati & Marpurgi docuit, Vide *Adami* vitas Philosoph. p. 248. *Frehervum*, *Zeltnerum* de doctis correctorib. p. 323. *Fabricium* in Histor. Bibl. Fabric. P. I. p. 111.

95) IOH. SEBAST. PFAUSERUS. Constantiensis, Pastor Aulicus Imperatoris Maximiliani II. & denique Superint. Lauingæ. *Relat. innoc.* 1723, p. 336 seq.

96) VICTOR STRIGELIUS Philosophus & Theologus Ienensis, Lipsiensis ac denique Heidelbergæ, ubi mortuus. Vide *Freherum*, *Zeumerum*, *Serpilium* in epitaphiis Theol. Suev. p. 107 item ejusdem Personalien Iesaiæ p. 560. *Adami*, *Bayle*, *Uhse.*

97) D. PAULUS EBERUS, natus Kitzingæ in Fran-

Franconia Philologus & Theol. Wittebergenſis. vide *Mencii* orationem de vita Paul. Eberi á Bismarco edita 1614, *Adami* conf. *Lenzii* ſeriem Profeſſorum; natione Francorum, qui Wittebergam, illuſtrarunt, §. 10. *Wetzelii* Hymnop. P. I. p. 197 ſeq. Cl. *Olearii* Lieder Schatz P. I. p. 134 ſeqq.

98) IOHANNES WINNINGSTÆDT. Ex Canonico Halberſtadienſi primus evangelii præco & Reformator ibidem. Deinde paſtor Einbeccæ, Goslariæ & Quedlinburgi. Theologus & Hiſtoricus. *Kettneri* Kirchen-hiſtorie von *Quedlinburg* p. 225 conf. *Reimanni* diſp. de Chronico Halb. Winnigenſtadii. 1702. 4.

Annus 1570.

99) MATTH. AULBERUS Reutlingæ 1495 nat. primus apud Nordlingenſes Evangeliſta, obiit Abbas Blabyrenſis. conf. de vita poſt *Fiſchlinum* alioſque *Georg Regeri* Syndici Nordlingenſis, Umſtändliche *relation* wie es mit der *Reformation* der Stadt Nördlingen ergangen 1717. 18. 1. *Alph. 2. pl.* liber utilis paucis cognitus.

100) D. IOH. BRENTIUS ſummus Theologus. Vitam Brentii evulgavit M. *Joh. Balth. Bayſchlag* in memoria Brentii renovata Wittebergæ 1693, qui etiam præſide b. *Caſp. Löſchero* edidit Brentium orthodoxum, adde *Heerbrandi* orationem in Brentium habita 1570. *Adamum*, *Fechtium*, *Frehernm*, *Fiſchlinum*, *Uhſe*, *Johann. Hippoliti Brentii*, Brentziſche Jubel-Predigt/Nürnberg 1627. 4. Unpartheyiſche Bibliothecar. Part. 3. p. 187. &c.

101) SEBAST. FROSCHELIUS, Archi-Diac. Witteberg. Prodiit Lipſiæ 1722. in 8. pl. 2. Nachricht von dem Leben M. Sebaſtian Fröſchels / conf. *Rel. Innoc.* 1724. p. 680-685.

102) NIC. GALLUS, al. Hahne, Theol. Witteberg. Ratisbonenſ. & Magdeb. conf. *Joh. Roſinum* in oratione

tione 1580. habita de vita & obitu ejus. *Adami*, *Freherus*, *Pantaleon*, *D. Gœtzium* in Elog. Germ. Theolog. p. 621. seqq. *Gottfr. Arnold*, inprimis *Becmanni* Anhaltische Chronick Part. VII. cap. 3. p. 339.

Annus 1571.

103) D. JOACH. MORLINUS, docuit Wittebergæ, Islebiæ, Wollini in Pomerania, Göttingæ, Sleusingæ, Kœnigsbergæ, Brunsvigæ, & denique episcopus Sambiensis constitutus. Vitam Morlini descripsit *Melissantes* im curieusen und gelehrten Historico p. 1. usque 38. Adde *Valerii Fridleri* Threnologiam de obitu Morlini Jenæ 1571. *Adamum*, *Fechtium*, *Hartknoch*, *Rethmeier*, Blumens / Braunschweigis. Prediger-Gedächniß / p. 1. *Leuckfeld* in hist. Heshusiana, p. 77. *Krüger*, *Ubse*.

Annus 1572.

103) D. WILH. BIEDENBACHIUS, Antistes Eccl. Cathedralis Stuttgardiæ, nat. Grünebergæ in Hassia. quæ de vita ejus extant habet *Fischlin*. P. 1. p. 168-171. 104) JO. FRIED. COELESTINUS, ex Ephoro Hagiensi in Bavaria Prof. Theol. Jenens. Flacianismo infectus Austriam petiit Ann. 1572. quo anno forsan obiit *Freherus*, *Zeuxerus*. Plura desidero.

105. STEPH. KIS, a patria *Szegedinus* vocatus Superintend. & Scholæ Director in variis Ungariæ locis: Lutheri discipulus, sed postea sectæ Calvinianæ addictus. Biographia Szegedini prolixa descripta *a Matthæo Seariezeo* præmissa est Locis communibus Theologiæ. conf. *Adami* & *Czwittingerus* in Hungaria literata p. 364.

Annus 1573.

106) D. JOH. PFEFFINGER, Bavarus, ex sacriculo primus Lipsiensium Superintend. factus. Vitæ acta refert *Adami* & *Anonymus* im Geschichts-Calender der Leipziger Superintendenten p. 1. usque 20. conf. neu-bestellten Agenten 3. Fonct. XI. Depech. p. 959. Adde *Balth. Sartorii*

torii Lebens-Beschreibung *D. Jo Pfeffing, Lipsiæ 1573. 4.*

107) *D. HIERON. WELLER* a *Molsdorff*, Friberga Misnicus. Professor & Inspector Gymnasii Friburgensis. Biographiam Welleri evulgavit *Læmmelius* in historia Welleriana 1700. in 4. edita, cujus studio etiam prodierunt Opera Welleri, Latina & Germanica 1702. fol. in quibus Tom. 2. extat. Cl. *Dornii* oratio de vita & obitu Welleri, conf. *Wagneri* seriem collegar. Gymnasii Friburg. p. 5. *Rollii* Biblioth. Nobil. Theol. p. 226.

Annus 1574.

108) D. JO. GARCÆUS, Superintend. Neo-Brandenburgi. conf. *Gottschling* res præceptorum Neo-Brandenburgens.

109) JO. ISENMANN. Superint. Gener. Tubing. & Abbas Anhusanus Evangelicorum primus. Concinne *Fischlinus* T. I. p. 53 vitam Isemanni recenset.

110) D. GEORG MAJOR, Noribergens. docuit Wittebergæ, Magdeburgi, Martisburgi & Islebii. Crypto-Calvinianus, Adiaphorista & inconstans in religione. Docuit *bona opera ad salutem esse necessaria, sine quibus nemo usquam possit salvari.* De illo ejusque doctrina, conf. *Seckendorff. Adami, Godofr. Arnold, Ubse, Schlüsselburgii Catal. Hæretic. Lib. VII. per totum.* Adde confessionem & sententiam Ministrorum verbi in comitatu Mansfeldensi, anno 1565. p. 90. seq.

111) M. JOACH. WESTPHALUS, Pastor Hamb. in patria. Vitam ejus descripserunt, *Joh. Frederus* & *Jodocus Methodius 1575. 4. M. Joachim. Manzelius* in memoria Westphaliana 1706. *Sculteus* in innocentia Theolog. Hamburg. p. 6. usque 53. &c.

Annus 1575.

112) D. CASP. EBERH. Schnebergensis primum Ecclesiæ Misnensis ephorus, postea Professor & Superint. Wittebergensis. Vitam dedit *Meltzerus* in historia Schneberg. p. 360.

113) M. MATTH. FLACIUS

CIUS, vero nomine *Vlacich vel Francowich* a) Vitam Flacii edidit Cl. *Ritterus* 1723. 8. 1 Alph. recus. 1725. auct. sed hanc ultimam editionem nondum vidi. Cæterum liberali manu de magni hoc nominis Theol. egerunt *Verheiden*, *Adami*, *Freherus*, *Uhse*, *Godofred. Arnold. Bælius*, *Zeltnerus* in Theatr. correct. pag. 183. *Wendeler* in disp. continens memorias Theol. p. 112. *Serpilius* in recens. comment. in Psalmos P. 1. p. 597. *Niebenck* in nobili Theol. Lutherano pag. 20. &c. adde etiam Diarium meum Salanum, p. 203. usque 206.

114) D. GEORG. LANGEVOGTIUS, Superint. Chemnicensis. *Lexic. erud. Annus* 1576.

115) D. SIM. MUSÆUS, nat. Vetschæ prope Cotwitz. Variis locis docuit & decemplici exilio clarus. Vitæ curriculum descriptum extat b) in *Relat. Innoc.* 1720. p. 571. 603. conf. *Pantken* Pastores der Evangel. Kirche zu St. Elisabeth in Breßlau. p. 12. *Leuckfeld* in historia Spangenbergensi, pag. 54. & 55. *Zeumerum* &c.

116) D. HENRIC. SALMUTH, al. Beringer / Suinfurth. nat. Reformator Ecclesiæ Mülhusanæ docuit Lipsiæ. *Anonymi* Geschichts-Calender der Leipziger Superint. p. 21. seq.

117) D. JO. STOESSEL, Kitzingæ Francorum natus, primo Antistes Heldburgensis, tum Consistorii Vinariens. Assessor, postea Superint. & Theol. Prof. Jenensis, & denique Superint. Pirnensis. Factus est Crypto-Calvinista, & Synergista. Incidit ob abnegatam veritatem in periculosissimas tentationes. Vitam propinant, *Zeumerus*, *Freherus*, *Willischius*, in memoriis Superintend. Pirnens.

a) Conf. omnino Flacii demonstrationem doctrinæ de essentia imaginis Dei & Diaboli, p. 323.

b) Ubi ad annum 1582. Musæum vixisse affirmat autor, cui tamen ob dubia quædam non lævia, subscribere nequeo.

Pirnenſ. num. 2. *Gœtzius* im Send-Schreiben von hin und her zerſtreueten Dreßdnern/p.*152*.ſq. conf. *M. Ianum* de morte Apoſtatarum in Miſcel. Lipſ. Tom. IV. p. 60. ſeq. *Relat. Innoc.* 1712. p. 580 usque 628. *Lœberi* hiſtor. Orlamund. p. 85.

Annus 1577.

118) HARTM. BEYER, Theolog. Francofurtanus. De vita in ejusque eccleſ. Franc. inprimis meritis, vide *Cl. Ritteri* Franckf Reformations-Geſchichte/ p. 302. ſeq. p. 407. 416. ſeq 434. ſeq.

119) M. ANDR. FABRICIUS, Chemnicenſis. Paſtor Nordhuſanus & Islebii *Oratio M. Conradi Portæ de Vita Fabricii* proſtat Vitebergæ 1584. 8. conf. *Relat. Innoc.* 1725. p. 362.

Annus 1578.

120) D. BALTHASAR BIDENBACH Præpoſitus Studgardinus. Vitam exhibet *Fiſchlinus*. *P. I.* p. 142 ſeq. *Fechtius*, p. 130.

121) FRANCISCUS ALARDUS nat. Bruxellis in Brabantia, ex Monacho Theologus Lutheranus factus, docuit Nordæ & Antwerpiæ. Vitam refert *Nicol. Alardus* in Decade Alardorum p. 1. ſeq.

Annus 1579.

122) D. GEORG COELESTINUS Concionator aulicus Ioach. II. & Georgii Electorum Brandenburgic. & præpoſitus Berolinenſis. Pauca ſunt, quæ de illo ex Lexic. erudit, editionis Cl. *Iöcheri* conſtant.

123) D. PAULUS CRELLIUS Islebius. Theol. Prof. Wittebergenſis, & Aſſeſſor Conſiſtorii Misnenſis. *Freherus*. meliora expectamus à *Colero* in vitis Theologorum Wittebergenſium.

Annus 1580.

124) D. RUPFRTUS DURRIUS. Superint. Generalis & Antiſtes Durlacenſis, patria Würtembergicus 1554 in Pruſſiam controverſiæ Oſiandricæ componendæ cauſa, legatus. *Fiſchlinus* P. I. p. 121, *Hartknoch*.

125) SE-

125) SEBAST. SCHUBERT primus Evangelii Pastor Lignizensis deinde Lubbenæ. Vide *Rungii* Miscellanea literaria specimine 3. p. 49 seqq.

Annus 1581.

126) D. IOHAN. MARBACHIUS. Lindaviensis Theologus Argentinensis. De vita & in Ecclesiam meritis Marbachii prolixe egit. b. *Fechtius* in apparatu ad Epistol. Marbach cap. III p. 24, seq. *Adami.*

127) IOH. GIGAS al. *Rieff.* Nordhusanus in Schola & Ecclesia Portæ ad Salam, Freistadii & Suidnici docuit. *Adami*

Annus 1582.

128) LUCAS LOSSIUS Theologus & Philologus ultra 50 annos Lüneburgicus, *Adami*, *Fabricius* P. VI p. 403 seqq. *Lackmanni* Miscellanea literaria p. 403, seqq.

Annus 1583.

129) IVARUS BARTHOLINUS Theologus Daniæ *Vindingius.*

130) LUCAS POLLIO. Theologus Uratislaviensis. cujus scriptum de vita æterna nuper recudi fecit *M. Weber.* pastor Vinariensis. *Hansi* memoria concionator. Uratislaviensium, p. 36. *Adami.*

131) M. IOH. PICCARTUS. Papebergensis. Ecclesiæ Altorfinæ Pastor & Academiæ P. P. *Zeltnerus*

Annus 1584.

132) ABRAHAM BUCHOLTZERUS, Theologus & Chronologus. Pastor primum Sprottaviensis, post aulicus Concionator Crosnensis, tandem Pastor Freystatensis. *Adami*, *Uhse*, *Clarmund* P. V. p. 35. *Blount* Censura celebr. Autor. p. m. 887.

133) D. MAXIM. MORLINUS. Theologus Coburgensis. De illo egit Cl. *Thomæ* in der Coburgischen Reformations Historie p. 359-368.

Annus 1585.

134) D. HULDER COCCIUS, Theologus Basiliensis. Coccium una cum Simone Sulcero, ut in aliis fidei dogmatibus, ita præcipue in articulo de substantiali

ſtantiali præſentia corporis & ſanguinis Domini in ſacro ſanctæ Cœnæ ſacramento, Lutheranæ prorſus opinioni addictum fuiſſe, demonſtratum dedit. b. *Fechtius* in Apparatu ad Ep. Marb. p. 112 ſeq. quem etiam de vita Coccii conf.

135) D. SIMON SULCERUS Theolog. Baſilienſis, Vide *Fechtium* l. c. *Adami.*

136) M. CONRAD PORTA, Paſtor Petro-Paulinus Islebiæ Vitam dedit Cl. *Bieck* in der fortgeſetzten Samlunge von A. und N. *Theolog.* Sachen 1725/ p. 360-383.

137) D. FRIED. WIEDEBRAMUS docuit Serveſtæ, Iſenaci, Ienæ, Bremæ, ac denique Heidelbergæ, *Adami*, *Zeumerum* in vitis Philoſ. Ienenſ. p. 13.

Annus 1586.

138) D. MARTINUS CHEMNITIUS, Theolog inſignis multiisque meritis clarus, docuit Regiomonti, Wittebergæ, Brunſvigæ &c. Ipſe vitæ curriculum ad annum usque 1554 conſcripſit, quod extet im Erleuterten Preuſſen. Part. XXIX inter reliquos autem Biograph. Chemnitianæ ſcriptores omnium optimus eſt. Cl. *Rethmeierus* in Hiſtor. eccleſ. Brunſvic. P. III. p. 273-313 item p. 365-388. p. 519-536 &c. item in den Beylagen paſſim in primis p. 433-457 Epiſtolas atque Reſponſa cum Gaſmeri vita Chemnitii evulgare conſtituit Cl. *Colerus*. vide *Rel. innoc* 1721 p. 310 Conf. *Adami*, *Verheiden*, *Spizelium.*

139) D. BARTHOL. ROSINUS Superint. Vinarienſis deinde à Crypto-Calviniſtis expulſus, Ratisbonenſis, conf. *Seb. Muller* Annal. Saxon, A. C. 1562 p. 134-174, *Lexi. erud. & Serpilium in* præfat. ad Kindervaters, *Nordhuſ. Illuſtrem*

140) THEODORICUS SNEPFFIUS Theologus Tubingenſis. *Adami*, *Freherus*. *Fiſchlinus* P. I. p. 89. *Serpilii Epitaphia* p. 131. *Uhſe*

141) PRIMUS TRUBERUS,

BERUS, Rosterlicii pago Carniolæ natus, Rotenburgi ad Tubarim & Berendingæ non procul Tubinga docuit, *Adami*, *Freherus*, *Fischlinus*, *Czvvittingerus*, p. 389 seqq.

Annus 1587.

142) D. TIMOTHEUS KIRCHNERUS, Docuit Ienæ, Gandersheimi, Helmstadii, Heidelbergæ & Vinariæ. Vitam atque fata recenset Cl. *Leuckfeld* in Antiquitat. Gandersheimensibus p. 324-348 conf. *Adamum*, *Zeumerum*, *Fabricium* T. I. p. 63 *Paulini* Annales Isenac. p. 176. *Olearium* in syntagm rerum Thuring. T. 1. p. 353

143) D. JO. WIGAND. Theol. Mansfeld. Magdeb. Jenensis, Wismariensis, Regiomontanus, & denique Episcopus Pomezaniensis in Borussia. *Zeumer*, *Adami*, *Hartknoch*, *Fechtius*.

Annus 1588.

144) D. CONRAD. BECKER, al. *Pistorius* docuit Stadæ, Güstrovii, Rostochii atque Hildesii. Vitam dedit *Alb.* zum *Felde* in analectis, conf. *Lexicon erudit. Rethmeieri* supplement. ad historiam Brunsvicensem p. 87.

145) D. TIL. HESHUSIUS nat. Velaliæ ad Rhenum, docuit Goslariæ, Rostochi, Heidelbergæ, Magdeburgi, Biponti, Jenæ, in Borussia ut Episcopus Samlandiæ, & denique Helmstadii. Vitam dedit Dn. *Leuckfeld* in historia Hesshusiana, 1716. in 4. edita, conf. *Adamum*, *Zeumerum*, *Fechtium*, *Rollium*, *Heineccium* in Antiquit. Goslar. L. 6. p. 501. *Freherum*, *Grapium*, in Rostochio evangelico p. 143. seq. *Serpilium* in Personal. Jesaiæ, p. 402. & in Psalm. P. 2. p. 125. &c.

146) D. JO. MATTHÆI, Smalcaldiensis in aula Friederici Palatini, porro Ambergæ & Wittebergæ docuit, pauca sunt, quæ de illo constant ex *Micræli syntagmate* p. 768.

147) JOH. PARSIMONIUS, Augustæ Vindelicorum natus, docuit in patria atque in aliis locis denique Abbas Hirsaviensis con-

constitutus, *Freherus*, *Adami*, *Fischlinus*, *Serpilius* in epitaphiis, p. 140.

148) D. PETRUS PRÆTORIUS, Cotbusæ natus, Crypto-Calvinista, docuit Wittebergæ & Gedani. *Lexic. eruditor.*

Annus 1589.

149) D. ESAIAS HEIDENREICH, natus Leoburgi, Pastor Suidnicensis, & Prof. Breslaviensis. Vitam in compendio exhibet *Eberti in Leorino erudito*, p. 20. adde *Pantkenium*, *Hansi* in pastor. Uratislav. vitis.

150) D. HENR. MOLLERUS, Hamburgensis. Prof. Theol. Witteberg, sed ob Crypto-Calvinismum dimissus. *Freherus*, *Gottfried Arnold.*

151) D. DAVID. VOITIUS, nat. Ronneburgi, docuit Regiomonti, Jenæ & Wittebergæ, *Adami Zeumerus.*

152) D. MOSES PFLACHERUS, natione Suevus, Antistes Campidunensis, vitam propinat *Fischlinus* in supplementis ad memorias Theologorum Wittebergensium, p. 380. seq.

Annus 1590.

153) D. JAC. ANDREÆ, per contemtum *Smidlinus* vocatus, natus in ducatu Würtembergico oppido Waiblingen, Formulæ Concordiæ conditor. Docuit Stutgardiæ & Tubingæ. De vita & obitu Andreæ in eleganti & prolixa oratione egit *Jacob. Heerbrandus* Tubingæ 1590 in 4. edita pl. 12. item *Joh. Val. Andreæ* in fama Andreæ reflorescente. *Adami*, *Fechtius*, *Fischlinus*, *Uhse*, adde *Lucæ Osiandri* oration. onem funebrem cui adjecta est Andreæ oratio & confessio die ante mortem prolata, *Kortholt* hist. Eccl. p. 819. *Relat. Innos.* passim præcipue anno 1704. pag. 76-87. *Joach. Mülleri* entdecktes Staats-Cabinet/ P. IIX. cap. 9. p. 322-337. *Caroli* Würtembergische Unschuld/ p. 129. 384.

154) D. JOH. AVENARIUS, al. *Habermann*, Egra Bohemus primum septem locorum pastor, deinde Theol.

Theol. Prof. Jenæ & Wittebergæ, & denique Superint. Cizenſis. *Freherus, Zeumerus.*

